u 6

ARISTOPHANES
IMPIETATIS REUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

J.-A. HILD

IN LYCÆO VESONTIENSI AGGREGATUS LITTERARUM PROFESSOR

Πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰπεῖν,
πολλὰ δὲ σπουδαῖα....
(*Ran.*, 389.)

VESONTIONE

E TYPIS J. JACQUIN

1880

ARISTOPHANES

IMPIETATIS REUS

ARISTOPHANES

IMPIETATIS REUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

J.-A. HILD

IN LYCÆO VESONTIENSI AGGREGATUS LITTERARUM PROFESSOR

Πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰπεῖν,
πολλὰ δὲ σπουδαῖα....
(Ran., 389.)

VESONTIONE

E TYPIS J. JACQUIN

1880

OPTIMO VIRO

B. DUPARAY

ACADEMIÆ VESONTIENSIS NUPER INSPECTORI

GRATI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS AUCTOR.

INDEX

RECENTIUM AUCTORUM ET LIBRORUM QUI, DE ARISTOPHANE COMMENTATI, OPUSCULO NOSTRO PROFUERUNT.

BEHAGHEL, G. *De vetere comœdia deos irridente.* Dissert. inauguralis. Gottingæ, 1856.

BERGK, TH. *Commentationes de reliquiis comœdiæ atticæ antiquæ.* Lipsiæ, 1838.

BERNHARDY, G. *Grundriss der Griechischen Litteratur.* Halle, 1872-76.

BODE, G.-H. *Geschichte der Dramatischen Dichtkunst.* Zweiter Theil. Leipzig, 1840.

BŒTTIGER, C.-A. *Aristophanes impunitus deorum gentilium irrisor.* Lipsiæ, 1790.

CURTIUS, E. *Griechische Geschichte.* 4e édit. Berlin, 1874.

DESCHANEL, E. *Etudes sur Aristophane.* Paris, 1867.

DROYSEN, J.-G. *Prolegomena* ad German. Aristoph. fabul. translationem. Berlin, 1835-38.

DU MÉRIL, ED. *Aristophane et Socrate. Revue des Deux-Mondes*, 1er juillet 1846.

ID. *Histoire de la Comédie.* Période primitive. Paris, 1864.

GIRARD, J. *La Religion dans Aristophane. Revue des Deux-Mondes*, 1er août et 15 novembre 1878.

GROTE, G. *Histoire de la Grèce.* Trad. DE SADOUS, vol. IX et XII. Paris, 1866.

GRYSAR, A. *De Doriensium comœdia.* Colon., 1828.

HEGEL, F. *Cours d'Esthétique.* Trad. BÉNARD. Paris, 1852.

HERMANN, G. *Aristophanis Nubes cum scholiis.* Lipsiæ, 1830.

HERMANN, C.-Fr. *Progymnasmatum ad Arist. Equites schediasmata tria.* Marburgi, 1835.

ID. *De reipublicæ Platonis temporibus.* 1839.

HILD, J.-A. *Etude sur les Démons.* Paris, 1880.

Kock, C. *Aristophanes und die Gœtter des Volksglaubens.* Jahrb. für class. Philol. Suppl. Band III, Heft 1, 1857.

Kock, Th. *Ausgewœhlte Komœdien des Aristophanes.* 1. Wolken. 2. Ritter. 3. Frœschen. 4. Vœgel. Berlin. (Weidmann.)

Lehrs, K. *Populœre Aufsœtze aus dem Griech. Alterthum.* Leipzig, 1875. 2e édit.

Lobeck, Ch.-A. *Aglaophamus, sive de Theologiæ mysticæ causis.* Regimont. Prussorum, 1829.

Meineke, J.-A. *Fragmenta comicorum Græcorum.* Berol., 1839. Volumen I., *Historiam criticam com. græc.* continet.

Muller, Ot. *Histoire de la littérature grecque.* Trad. Hillebrand. Paris, 1865.

Nægelsbach, C. Fr. (Von). *Nachhomerische Theologie des Griech. Volksglaubens.* Nürnberg, 1857.

Pauly, A. *Realencyclopedie der classischen Alterthumswissenschaft.* Vol. III, Eleusinia. Vol. V, Mysteria. Stuttgardt.

Preller, E. *Griechische Mythologie.* 3e édit. Berlin, 1872.

Ranke, C.-F. *De vita Aristophanis commentatus.* Aristoph. comœdiis a Meineke editis præf. Lipsiæ, 1861.

Reisig, C. *Aristophanis Nubes.* Lipsiæ, 1821.

Rœtscher, H.-Th. *Aristophanes und sein Zeitalter.* Berlin, 1827.

Sande Bakhuysen (Van de). *De parodia in comœdiis Aristophanis.* Utrecht, 1877.

Schlegel, A.-G. *Cours de littérature dramatique.* Trad. Necker de Saussure. Paris, 1865.

Stallbaum, G. *De persona Bacchi in Ranis Aristophanis.* Berol., 1839.

Stiévenart, J.-F. *De la comédie grecque.* Mémoires de l'Académie de Dijon, 1852.

Suevern. *Ueber Aristophanes Wolken.* Berlin, 1825.

Teuffel, W.-S. *Aristophanis Nubes.* Lipsiæ, 1863.

Inter libros quos ex aliis tantum cognovi, mentionem expostulant : Fritzsche, F.-V. *Quæstiones Aristophaneæ*, Lipsiæ, 1835 ; Ribbeck, W. *De usu parodiæ apud com. Athen. auctores.* Berol., 1861.

ARISTOPHANES

IMPIETATIS REUS.

INTRODUCTIO.

§ 1.

CUR ARISTOPHANIS RELIGIONEM SERIO SUBJICERE JUDICIO LICEAT.

Dionysius, Syracusarum tyrannus, Atheniensium mores atque ingenium cognoscendi cupidus, traditur a Platone philosopho, quem de eâ re percontatus erat, Aristophanis accepisse comœdias, tanquam perfectam ingeniosæ turbulentæque civitatis imaginem [1]. Insigne illud de comicorum maximo a principe philosophorum editum judicium, posteris quoque pro lege habendum erit. Non eo tamen sensu ut ex Aristophanis fabulis res ipsius tempore gestas, illustres pace belloque viros, magistratuum consilia et totius civitatis agendi cogitandique rationem quam exactissime

[1] Ἀριστοφ. βίος, IV : πέμψαι τὴν Ἀρ. ποίησιν. Delenda ut spuria : τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν (Ranke, de vita Aristoph. commentatio), sive κακηγορίαν. (Bode, *Gesch. der dramat. Dichtkunst*, III, 2, 246.)

sibi effingere posse existiment [1]; sed quia comœdiæ illæ quotidianæ vitæ consuetudinem, popularia studia, strepitus fori et λογοποιούντων de diis atque hominibus, de re publica atque privata opiniones redivivas quodammodo faciunt.

Etsi sæpe eruditissimi viri, has fabulas intuiti, speciem inde Athenarum civitatis, varia cum fortuna descripserunt, operæ tamen pretium nobis quoque visum est, unum illud, neglectis reliquis, exquirere : quid de patria religione, de sacris vel antiquitus traditis per manus, vel recenter in Græciam importatis, quid de philosophorum disciplinis ad religionem pertinentibus, Aristophanes, publicæ opinionis interpres aut censor, judicaverit.

Spinosum opus, ni fallor, quanquam a multis jam ante nos susceptum [2], et quod nonnullis videri poterit ineptum, qui nos sesquipedalia verba, morosæ pietatis causa, in festivissimum omnium græcorum poetarum jactare et immani sententiarum pondere μουσόμαντιν [3] illum canorum obruere accusent. Legitimum tamen, propter duas præcipue causas, quæ jam inde a principio nobis explicandæ sunt. Altera ex comœdiæ ipsius conditione et natura, nulla neque temporum neque locorum ratione habita, altera ex Aristophanis exemplo atque haud semel enuntiata operis professione petitur.

Quod si comœdia « imitatio est vitæ, speculum consuetudinis et veritatis imago [4], » quidquid a poeta in theatro, delectationis causa, spectatoribus traditur, apud posteros jure ad seriam morum, disciplinarum,

[1] Grote, *Hist. de la Grèce*, XII, 148 et seq.
[2] Vid. *Indicem librorum* opusculo nostro præpositum.
[3] *Av.*, 276.
[4] Cicer., *Repub.*, IV, 11.

opinionum speciem exprimendam licebit adhibere et in historiæ vocare subsidium. Philosophi enim et poetarum ii qui cum philosophia maxime conjunguntur, dithyrambici scilicet atque tragici, aut temporis sui studia antecedunt et regere conantur, aut veteribus placitis fabulisque immorantur. Comicorum perfectio in eo consistit ut illorum quæ versantur in medio, vivam et veram speciem adumbrent. Qualis igitur Aristophanis in fabulis fuerit religio, legitime descripta et explicata, eam haud immerito totius fuisse Atheniensium populi affirmare posse videmur. Sive superstitiosam derideat credulitatem comicus, sive in antiqua sacra grassetur, sive irreverentiam suam pietatis quibusdam indiciis temperet, non artis tantum proposito tenetur comicus, sed opinione vulgi intra certos fines vexandi jocandique coarctatur. Et quia comœdiæ proprium est, quid ultimum sit in ridiculo spectatoribus apponere et approbare, quoties religionem adhibet proposito, qualis venerationis impietatisque sua ætate fuerit terminus, ostendit : quem illi in neutram partem transgredi licuisset, nisi tædium amphitheatri aut indignationem voluisset suo periculo experiri. Ita, quæcumque de Aristophanea religione disserentur, in populum conveniunt Atheniensem, qui facetias impias maximo cum favore excepit : primum quia propriam sui generis pulchritudinem præ se ferebant ; deinde quia vulgus suum in omnibus animum suaque studia quasi in speculo poterat contemplari.

Sunt qui comœdiam censuræ omnis, si fabularum tantum materia spectetur, immunem esse volunt, dummodo risum commoveat auditoribus et plausus legitimo artis suæ usu mereatur ; qui religionem etiam, ut cetera omnia ad humanitatem pertinentia,

comœdiæ legibus concedere jubent, et ἀμούσους appellent eos qui austeræ sapientiæ nomine, jocis intentant inquisitionem morosam, philosophumque requirunt, ubi τρυγοδαίμων solus in conspectum voluit prodire. Quæ disputatio, si altius eam repetere velimus, eorum esse solet qui quærunt utrum liberalibus artibus delectatio tantum oculorum et animorum proponenda sit, neglecta morum emendatione quæ cum divinorum respectu arctissime cohæret; an contra vates, musici, pictores, ceterique culti viri qui in effingenda adornandaque naturali pulchritudine operam consumunt, hanc ante omnes legem sequi debeant, ut sapientia, humanitate, virtute, hominum mentes instruant et propriam suæ artis vim ad docendam et informandam vertant imperitorum multitudinem. Litem hanc sæpe jam apud recentiores disjudicatam et semper renascentem, non hic locus est ex omni parte rursus judicibus submittere. Antiquitas enim omnis, etsi sæpe reipsa mores religionemque a litteris atque bonis artibus sejunxit, verbo saltem nunquam voluit divelli.

Consuetudine quadam antiquitus tradita et simplici priscorum hominum pietate, poetis apud Græcos non delectandi tantum munus mandabatur, sed etiam atque præcipue de divinis humanisque docendi populum et ad rectam vitam informandi. Quod officium pro sua virili parte Homerus, Hesiodusque, ne de Musæo et Orpheo commentitiis vatibus loquar, implevisse dicebantur, atque ex eo præcipuas laudes merebant. Deinde publica legum auctoritate provisum est ut poetæ omnes illorum insisterent vestigiis et non ingenii tantum sed sapientiæ hæreditatem in Græcia susciperent [1].

[1] Lycurg., *in Leocrat.*, 102. Isocrat., 4, 159.

Sed quia artis propositum longe ultra morum et sapientiæ fines patet, neque innumeras ejus species tam arctis fas erat terminis concludi, etsi non destiterunt poetæ, vulgarem opinionem secuti, disciplinam hominum suis operibus prætendere, attamen necessitate quadam ineluctabili abrepti, delectationem ante omnia et per omnia prosecuti sunt. Ita evenit ut ex altera parte legumlatores in ordinandis civitatibus, oratores in illustrandis legibus, philosophi denique in inquirendo quid ad beate vivendum esset efficacissimum, in hoc consentirent ut ex liberalium artium studio morum informatio subsidiumque pietatis peteretur; ex altera vero omnes musarum amantes viri, proprium suum opus, vix illorum ratione habita, curarent, et moribus emendandis pietatique fovendæ operam nullam aut contrariam præstarent. Ita factum est ut philosophia jam inde a principio poetis sit adversata [1], et postquam ad summam maturitatem pervenit, nisi eos qui de industria ad docendam sapientiam elaborarint, e civitate sua ejiciendos censuerit [2]. Vulgo tamen satis erat poetas publicæ delectationi dare operam, dummodo professione quadam sapientiæ et pietatis, speciosa magis quam vera, consuetudini atque legibus aliquid concederent. Quod de omnibus poetis manifestum, de tragicis comicisque maxime constat.

Nam ut publicam Homeri recitationem, lege constitutam omittamus, ceteri omnes nonnisi rara librorum communicatione in urbe diffundebantur; dramatici publico erant in patrocinio collocati, et quia spectacula ex gentilibus sacris ortum ceperant, et quia

[1] Plat., *Rep.*, X, 607 B.

[2] Id., *Rep.*, VIII, 568 B; X, 595 A et seq. *Legg.*, VII, 817 A.

ex ærario non ludorum tantum sumptus, sed theatra adeundi facultas parabatur. Hanc legum providentiam et munificentiam in eo agnoverunt poetæ, quod se bono publico prodesse velle profitebantur, comici præsertim quorum fabulæ, ex quotidiana vitæ consuetudine petitæ, cum civilibus studiis arctissime jungebantur. Aristophanes igitur, qui ingenium suum elegantissimum in omnibus pariter testatus est, illud quoque poetarum officium cum tanta gravitate verborum sententiarumque extulit, et a se prædicavit impleri, ut ad serium operis sui judicium non tantum aperuerit viam sed etiam provocarit posteros.

Quæstio ipsa in inferis, coram Baccho comœdiarum auctore et patrono, inter Æschylum atque Euripidem disputatur; poeta admirationem meretur [1], « δεξιότητος » quidem sed præcipue νουθεσίας causa,

Ὅτι βελτίους τι ποιοῦμεν
Τοὺς ἀνθρώπους ἐν πόλεσι.

Laudatur Orpheus quod mortalibus initiationes aperuit et eos a mutua deterruit cæde; laudatur Musæus qui morborum invenit remedia et incerta futuri oraculis patefecit; Hesiodus quod agriculturam et rustica opera suis commendavit versibus; Homerus tandem divinus, qui gloriæ amore accendit animos et bellicam virtutem cecinit [2]. Horum se discipulum præstitit Æschylus qui fortitudinem, constantiam, pietatem Athenienses docuit; Euripidesque ultimo dignus judicatur supplicio [3], quod ex fortibus viris et supra humanam staturam surgentibus, ignavos

[1] *Ran.*, 1008 et seq.
[2] Ibid., 1032 et seq.
[3] Ibid., 1012.

improbosque effecerit. Neque de aliis tantum Aristophanes tam gravem sententiam tulit, ipse intra comœdiæ licentiam tutus ; sed perinde atque Æschylus in epitaphio suo tragœdias suas omisit ut bellica merita tantum traderet posteris [1], ita Aristophanes, quoties in parabasibus artem suam commendat, de delectatione cujus auctor est civibus pauca, de probo ad commune bonum promovendum animo, innumera prædicat [2].

Hæc non nova sed popularia de poetarum officio placita professus Aristophanes et se ipse extulit et Euripidem opprimere in *Ranis* præcipue conatus est. Sibi non sapientis tantum comici laudem arrogavit, qui ἀλεξίκακος et καθαρτὴς civitatis suæ extiterit [3]; sed Euripidi meritam voluit detrahere coronam quod vitiorum omnium in scena spectatoribus exempla et impietatis documenta ediderit. In ipsum igitur neque immerito tela illa possunt retorqueri quæ Æschyli jaculata manu Euripidis intentantur tragœdiis, ita ut ex Aristophanis ipsius confessione, hæc nostra disputatio non excusetur solum sed evocetur. Non enim γέλοια tantum, quod proprium est comœdiæ, sed σπουδαῖα quoque docere se in scena est professus [4]; τρυγῳδίαν τὸ δίκαιον scire et se χρηστὰ λέγειν in civilibus, religiosis et moralibus rebus declaravit, ita ut grammaticorum eruditissimi duplici nomine, artis scilicet et sapientiæ, aut infamarint illum aut laudaverint [5].

Utcumque se res habet, Aristophanis comœdia etsi

[1] Cf. O. Muller, *Litterat. gr.*, II, 408.
[2] *Acharn.*, 496 et seq.
[3] *Vesp.*, 1043. *Pax.*, 734 et seq.
[4] *Ran.*, 389. *Achar.*, 502. *Ran.*, 686, 1055. *Equit.*, 576.
[5] Accusatur jam antiquitus a Lucian., *Bis. accus.*, § 33; a Plutarch., *Moral.*, 853 et seq.

ansam nullam propria sua professione huic nostræ inquisitioni præbuisset, non solum illustris populi et celeberrimæ ætatis patefecit ingenium, sed ad commutandos mores, renovanda studia, labefactandam aut confirmandam religionem qua totius civitatis ratio atque vita continebatur, multum contulit. Nullo igitur pacto posteros licebit prohibere, quominus ab iis sicut ad testimonium ita ad judicium citetur. Quod tamen ut planius eluceat, pauca nobis de religiosa ejus ætatis Athenarum indole, et de comœdiæ ipsius conditione necesse est præponere.

§ 2.

DE RELIGIOSA ATHENIENSIUM INDOLE ET DE VETERIS COMOEDIÆ CONDITIONE.

Homeri ætate scientia omnis de diis et de rerum natura decoris innitebatur fabulis, quarum auctoritati homines adversari neque poterant neque volebant ; quippe quæ sponte sua quasi ex totius gentis ingenio ortæ, divina origine comprobari viderentur. Non mente ac ratione mundi ordinem explicare, non continuam naturæ seriem certis disponere legibus mos erat, sed quæ enitescebant ante oculos cum stupore primum admirati sunt homines ; deinde vim abditam a rebus ipsis sejungentes, *deum* nominarunt quam intelligere nequibant. Deos inde sibi similes humanus excogitavit animus, numenque a se creatum vitæ, moribus, cognitioni tanquam moderatorem atque magistrum præposuit.

Postquam cogitatio novum concepit robur, non potuit quin claustra perrumpere et ad remotiores fines

evagari tentaret. Paulo post Hesiodi tempora, inter audaciorem rerum indagationem priscamque in inveniendis illustrandisque numinibus consuetudinem, contentionis deprehenduntur signa quædam, et non ampla quidem sed illustria monumenta exstant philosophiæ, fabularum detrectantis auctoritatem, et ad liberam scientiam sollicitantis animos. Sed quia ex religiosis fabulis vita pendebat, futurum erat, concussa fabularum auctoritate, ut omnia simul nutare et in discrimen vocari viderentur : leges primum et disciplina civitatum, quæ ita veterum coalescebat placitis, ut eamdem fortunam secuturæ essent. Nec deos, concussis moribus, nec mores, infracto deorum respectu, eodem stare loco diutius fas erat.

Dario tamen atque Xerxe invadentibus Græciam, etsi jam ingens in religiosis perturbatio facta est, integra vigebat veterum poetarum auctoritas, confirmata potius quam imminuta heroum cultu qui paulo post Hesiodum gentes omnes Hellenicas invaserat. Jam tum vero apparuerant viri, ingenio acri et disserendi acumine insignes, qui antiquæ religioni inhærentia vitia perspexerant et Olympiis diis audaces intulerant manus. Patefactis quæ in poetarum fabulis repugnabant rectæ rationi, et ἀνθρωποειδῶν deorum detecta natura, nullos esse deos aut alios, quod idem valebat, demonstratum est.

Illa tamen balba adhuc et vix sui conscia doctrina non periculum erat ut vulgi approbaretur opinionibus. Paucis primum destinata et communi studio abhorrens paulatim incrementum cepit et e philosophorum officinis cum sophistis in publicum prodiit. Tunc juvenum ingeniosissimi, qui novis doctoribus familiariter utebantur et per urbes disserentium orationes excipiebant, vetustatem idem esse quam stul-

titiam didicerunt, et pari contemptu non fabulas tantum sed instituta ac leges fabularum innixa fundamentis prosequi sunt edocti. Tum desinunt dogmata, poeticis magis decora ornamentis quam incorruptis rerum monumentis tradita, simpliciter excipi; vocantur in dubium, subtili interpretationi accommodantur, damnantur quoque aut quia rationi non satisfaciunt, aut quia cum castis moribus non possunt conciliari: quorum alterum præcipue doctos, alterum vulgus ineruditum movebat. Ita paulatim novitatis studium non modo ingenuorum civium domos sed plebem quoque invasit, quæ philosophis impar præcipientibus, negantes aut dubitantes perfecte intelligit [1].

Multa severius antiquitas fere omnis et nostræ ætatis eruditi viri de sophistis opinati sunt, quos morum corruptelæ et desidentis Græcorum disciplinæ reos facere solent. Nec potest negari percallidos illos doctores, et in utramque partem orandi peritos, σκέψιν irrepsisse mentibus quæ fabularum primum deinde veri quoque quod fictis continetur, contemptum progignit [2]. Sed ut fabularum nodis exsolverent animos, necesse erat demonstrare, non marmori atque æri inscriptis legibus alligari posse homines, sed certis quibusdam atque menti infixis regulis, quarum ad arbitrium deorum quoque ut reliquorum omnium ad humanitatem pertinentium, habitus atque cultus judicandi essent [3]. Supra fabulas quas prior

[1] Hæc omnia fusius explicantur in libro nostro : *Etude sur les démons dans la littérature et la religion des Grecs*. Vid. præsertim cap. II, III, VI.

[2] Ranke, *Aristoph. vit.*, § 7.

[3] Νόμους ἀγράφους invocat Antigone apud Sophoclem religiosissimum poetam. *Antig.*, 450 et seq.

ætas poeticis decoraverat venustatibus, absoluta quædam per se et ex altissimis mentis fontibus deprompta lex apparebat, ad quam vetustiorum referenda erant commenta et novæ dirigendæ doctrinæ [1]. Protagoras, cum ἁπάντων μέτρον hominem esse proclamaret, verum falsumque a singulorum mutabili voluit pendere judicio : esto, quanquam id quoque potest dubitari [2]. Sed eo ipso infinita cognitioni aperuit curricula et scientiam hominum jure dicetur renovasse.

Socrates inde collegit humanam mentem fontem esse unde rerum omnium emanaret cognitio et speculum in quo universæ naturæ imago pingeretur. Non sensus atque affectus hominum, quorum conditio fluxa et mutabilis est, sed rationem ipsam in omnibus quæ ad mores, religionem atque scientiam pertinent valere unam arbitrabatur ; cujus certo judicio speciosas præsertim de diis opiniones subjecit, ita ut infantia nostri generis adulta virilitate corrigeretur, virilitas ipsa in ratione tantum quæreret subsidium.

Hujus tantæ rerum omnium renovationis signum dare sophistæ, deinde ac melius Socrates non poterant quin statim sequeretur perturbatio atque insolitus ingeniorum profectus [3]. Sed litteris atque artibus quum summam perfectionem addidit, morum inclinationem celerare visus est, et multis securam ignorantiam, qua antea fruebantur, desiderabilem reddidit. Humani generis annales evolventi, querelæ obstrepere solent eorum qui eadem semper via homines velint pergere et incrementum omne dam-

1 Cf. EURIP., *Pirith.*, frag. 598.
2 *Theæt.*, 152 A, et passim.
3 ARISTOT., *Polit.*, VIII, 5.

nare, novarum rerum tædio et erroris metu. Ita se rem habuisse apud Athenienses, post Medica bella antiquæ religionis atque disciplinæ patrocinio tam præclare confecta, non est mirandum. Recentioribus tamen de sophistarum audacia disserentibus, circumspecto est judicio utendum [1], vel ideo quod inde Platonica doctrina, quæ sinon totam at certe maximam veritatis partem in divinis humanisque dispexit, profluit : et natura ita comparatum est ut error semper ad rationis rectæ imperium constituendum necessarius sit.

Parum tamen in commutandis Græcorum opinionibus profecisset philosophia, nisi vulgus quodammodo habuisset socium, nisi patriæ religionis inopia atque inanitas sapientium disciplinas e scholis in templa vocasset. Prospere cum omnia succedunt et id teneri vitæ curriculum potest, in quo præsentibus abrepti et læti, curam omnem atque anxietatem de futuris removere possumus, exigua pars nostri divinarum rerum studio relinquitur. Verumenimvero adversis instantibus et quotidianæ miseriæ prævalente cogitatione, supra humanitatem escendit animus ; ad deos quos sibi constituit adjutores, precibus confugit [2]. Non beatiorem tantum vitam, sed moriendi cum tranquillitate spem expetit ; quæ nisi religio suppeditat, inutilis videtur. Ita heroes, utpote origine sua mortali conditioni propiores, et deorum ipsi auxilium experti, divinis sunt honoribus consociati. Ita exteræ superstitiones, novitate commendabiles, antiquis et gentilibus sacris commiscentur. Circumvi-

[1] Ita judicarunt peritissimi in litteris græcis magistri. Vid. præsert. Grote, *Hist. de la Grèce*, t. XII, 169 et seq. Cui assentitur Lehrs, *Popul. Aufsætze*, 411.

[2] Cf. *Etude sur les démons*, ch. IV.

cinæ gentes, Thracia, Phrygia, Ægyptus, quibuscum præcipua erat societas, commercii et navigationis causa, deos novos, cærimonias novas Græciæ intulerunt, quæ magno cum favore fuerunt exceptæ. Et quia inter pacem atque otium adventitia illa religio nata erat atque crevit, ab ea præsertim agricolæ, pastores, opifices, laborans et sudans turba, lenimentum miseriis, subsidium paupertati, auxilium in periculis, in vita felicitatem, in morte solatium atque ultra mortem spem futuri traxerunt [1].

Non ideo tamen negliguntur cum præcipua pietate a patribus culta numina; sed quasi æmulatione inter diversas religiones instituta, templa dis heroibusque magnifice conduntur, ludi solemnes oppidatim instituuntur, sacerdotum numerus atque insignia gliscunt. Devictis Persis et Athenarum principatu in Græciam constituto, conscientiam roboris sui gens illa ita testata est, ut veteribus diis speciem daret pulchriorem atque propriis suis adornaret virtutibus, quarum paulo ante in periculis atque angustiis præclara documenta ediderat. Quod opus Phidias ita perfecit ut non ligneas numinum statuas in quas jam nonnulli cavillabantur, suis sedibus excluderet, sed novis imaginibus, in quibus priscæ pietatis simplicitas recenti sapientia temperari videbatur, elegantem quamdam atque ingeniosam venerationem conciliaret [2].

Sed quia multiformes cultus in eadem urbe existere cœperant, neque αὐτόχθονες dii integrum suum imperium poterant servare, popularis licentia cum acumine ingenii conjuncta brevi effectura erat ut deus nullus, templum nullum sicut veneratione ita et

[1] Cf. Lobeck, *Aglaopham.*, 312 et seq.
[2] Cf. Curtius, *Griech. Geschichte*, II, 327.

censura vacaret. Cuique pro suo ingenio inter tot numina licebat delectum facere; voti compos, in laudes effusus atque gratulationes, benignam dei potestatem extollendo, commendabat amicis et popularibus. Qui contra donis et precibus frustra sollicitaverat deum, iratus et de damno querens, templum mutabat ut cauponam et cum conviciis ad novum patronum migrabat. Casu et fortuna deserebantur aræ aut fumabant [1].

Apud plebem in honore erant ante omnia externæ superstitiones atque recentes; quæ novitate, secreto, insolito cultus apparatu, nocturnis cærimoniis alliciebant adoratores. Locum fere nullum fuisse in ochlocratia illa Atheniensi deorum veterum puræ et castæ religioni apud omnes constat. At χρησμολόγων avidis auribus responsa excipiebat, multum dabat sibyllarum Bacidisque oraculis quorum anceps ambiguaque auctoritas a demagogis, Themistoclis exemplo, in civilibus rebus advocabatur. Eadem cum festinatione ad joculatorum Asiaticorum initiationes et mendicorum sacerdotum præstigias concursus fiebat, qui anxias placare mentes et in vitam futuram beatorum felicitatem parare se posse gloriabantur [2]. Vigebant tunc ὀρφεοτελεσταί nominati, qui commentitiis libellis et fictæ pietatis habitu lucrum faciebant; Adonidis, Sabazii Cottytus atque Cybelæ fautores, πυθαγορίζοντες quoque qui sapientia quadam a philosophorum fontibus detorta superstitiones commendabant.

Quibus novitatibus quia leges nunquam iverunt obviam, sed liberam prodeundi invadendique civi-

[1] Cf. Bernhardy. *Grundiss der Griech. Litterat.*, I. 478. Curtius, *Griech. Gesch.*, III, 56 et seq.

[2] Cf. Plat.. *Rep.*, II, 364. Hesych., θεοὶ ξενικοί.

tatem dabant copiam, necesse erat ut omnis religio vocaretur in dubium. In divinis enim non licet sine periculo magno innovare : quippe quæ semel pro optimis habita, imperium in animos perdant, nisi inviolatum atque immutabile præstare conentur. Mutata religio arcana sua interrogantibus recludit; neque ulla possunt esse templa serena nisi quæ altis edita montibus, eminus tantum conspiciuntur, liberæ investigationi non patent. Quod bene intellexerunt qui constituerunt mysteria; stabilitatem silentio, venerationem secreto pararunt. Sed ex philosophiæ studio simul atque superstitionum usu ortum cepit sententia illa, scilicet meliora posse excogitari quam quæ de diis majores tradiderant, nec ipsa demum habita sunt optima. Jam inde a principio, quia adventitiæ erant superstitionum persuasiones, recenter illatæ et peculiari initiatione paucis reservatæ, non caruerunt diffidentia, invidia, derisu. Per totam urbem audire erat voces aliorum suos deos celebrantium, aliorum in eosdem conviciantium ; et quum jam nulla essent sacra quæ non fautores contemptoresque haberent proprios, omnia simul in eo erant ut perspicacissimis civibus fierent ridicula. Adde huc Peloponnesiaci belli ambitiosam exspectationem, spes infinitas luctuosa pestilentiæ calamitate compressas, variam et nutantem inceptæ militiæ fortunam, irrequietam voluptatum, divitiarum, dominationis cupidinem, quibus alii ad meram impietatem, alii ad exterarum religionum errores reciderunt : ita ut permixtis omnibus, majorum dogmata obsolerent et nihil jam appareret quod in eorum locum bene ædificaretur [1].

[1] Cf. Thucyd., III, 82, 83 ; II, 52, 53. Cf. Th. Kock, *Aristoph. Vœgel*, Einleit., 7 et seq.

Varias religionis aut impietatis quæ tum vigebant formas apud illustres in diverso genere viros Aristophanis temporibus vel paulo ante expressas videre est. Occurrit in primis simplicioris fidei atque anxiæ pietatis documentum Nicias, qui δεισιδαιμονίαν usque ad stultitiam, magno civitatis detrimento, in Sicilia provexit [1]; qui non solum quotidianis sacris deos gentiles colebat, sed privatus χρησμολόγου auctoritate utebatur, cujus sine nutu atque arbitrio nulli unquam seriæ rei dedit operam. Major est numerus eorum qui impietatis partes amplexi erant, Anaxagoras Protagorasque, quorum a disciplinis Socratica sapientia processit, publice docebant, alter veteres de diis fabulas ἐν ὑπονοίαις, id est allegorice esse explicandas [2], alter de diis omnino nihil certi posse affirmari [3]. Paulo post Diagoras Melius non jam in scholarum umbraculis et abstrusæ sapientiæ nomine, sed coram et palam cum ira et conviciis naturam deorum sustulit, et adversus Eleusina Samothraciaque mysteria populari lyricorum carminum auctoritate grassatus est [4]. Socrates supra impietatem superstitionemque simul evectus, ad rationalem religionem intendebat animum, et divinorum cognitionem a philosophia expetebat. Qui cum discipulis non impius minus quam qui deos omnino esse negabant populi judicio habebatur, et quia erat ingenio præstantissimus, in se imperitorum suspicionem præcipue convertit. Hujus sermonibus informatus sed magistro parum

[1] THUCYD., VII, 50. *De Nicia*, cf. TH. KOCK, *Ausgew. Komœdien des Aristoph. Ritter*, 11.

[2] DIOG. LAERT., II, 11.

[3] CICER., *Nat. Deor.*, I, 23. DIOG. LAERT., IX, 8.

[4] SEXT. EMPIR., *Adv. Mathem.*, IX, 53. CICER., *Nat. Deor.*, I, 23; III, 37, et SCHOL. *Avium*, ad v. 1073.

similis Alcibiades, si non ipse Ἑρμοκοπίδων facinoris dici potest auctor, perhibetur tamen inter epulas impia imitatione sacras initiationum cærimonias dedecorasse [1]. Critias denique, qui unus e trigentis futurus erat, acrioris ingenii vir quam ut Niciæ imitaretur simplicitatem, sed de reipublicæ statu, cui patria religio stabilissimum præstabat fundamentum, sollicitus, « totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ causa, ut quos ratio non posset eos ad officium religio duceret [2], » in tragœdia proclamavit. Cujus sententiam demagogos quoque defendisse verisimile est, qui deorum adversarios suæ ambitioni obniti intelligebant, necnon equites illos et ὀλιγαρχίας defensores, qui religionem traditam a patribus adversus philosophorum tuendo doctrinas, pro se atque imperio proprio, specie quadam pietatis, novatoribus obviam ibant. Pauci admodum erant, qui cum Aristophanes fabulas in scena docere instituit, superstitionis et dubitationis expertes, pura mente et integra fide vitam suam in veteris religionis collocarent tutela, et cum Æschylo tragico illud deliberationum, precationum, negotiorum omnium initium auspicarentur [3] :

Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
Εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.

Athenis, a Periclis tempestatibus, triplex erat studiorum atque opinionum publica, de qua solum licet

[1] PLUTARCH., *Alcib.*, 19, 22. ANDOC., *De myster.*, I, 11. LYS., 14-42. THUCYD., VI, 28.

[2] CICER., *Nat. Deor.* I, 42. Cf. PLAT. *Legg.*, X, p. 889 E. WAGNER, *Fragm. trag.*, III, p. 102.

[3] *Ran.*, 886.

posteris disserere, communicatio. Aut in concione oratores quæ sibi probarentur, ad rem publicam et civitatis administrationem pertinentia, plebi persuadebant; aut philosophi, in ludis et gymnasiis, dein, Socrate auctore, per vias et compita cum adolescentibus præsertim colloquebantur; aut festis Bacchi Minervæque solemnibus, tragœdiæ primordia urbium, heroicis illustrata fabulis, in scenam deferebant; comœdiæ deinde præsentium rerum ridiculam censuram in delectationem vertebant. Nusquam aberat divinorum cura et commemoratio. Oratores plerumque consiliorum suorum religionem adjutricem habebant, et oraculorum dignitate propriam suam auctoritatem fulcire conabantur. Philosophi quorum disciplinæ primum privato colloquio aut raris libris per urbem diffundebantur, sophistarum nomine postquam in publico sicut oratores apparuerunt et Socrates ipse popularem quodammodo docendi consuetudinem fecit, sapientia illa, superstitione abhorrens, videbatur quasi in certamine cum demagogis sacerdotibusque æmulari, et rationis constituto imperio, publicis privatisque vulneribus medelam afferre. Tragœdia comœdiaque etsi rarius et certis tantum diebus prodibant, gratissima simul et efficacissima potestate fruebantur. Quippe religionis specie spectaculis interesse mos erat, non Atheniensibus solum sed omnibus Græciæ gentibus quæ Panathenæorum et Dionysiorum solemnibus urbem ad id præcipue invisebant ut scenicis ludicris adessent. Poetarum illi qui egregium illud totius Græciæ delectandæ atque erudiendæ in theatro munus sibi vindicarunt, patriæ religionis in tutela collocati, et ex veteribus fabularum fontibus materiam operum suorum trahentes non potuerunt quin vera pietate ducti aut saltem artis leges secuti,

multa præclara de diis atque heroibus canerent ; sæpe tamen eam fabularum partem quam philosophi sapientiæ nomine infamarant, subjiciebant oculis. Mox ipsi philosophorum facti disciupli, aut ingenio temporis abrepti, in illustranda patria religione adversus eam visi sunt grassari. Comici præsertim ætatis suæ ingenium expresserant et studiorum omnium, quibus civitas distrahebatur, fabulis intexuerant imaginem ; et quia immodica vituperandi facultate fruebantur, vim suam omnem in infamando deridendoque, ut cetera omnia, ita quoque diversas superstitionum et impietatis formas, posuerunt.

Vetustissima comœdia, de qua certum ferri possit judicium, cum philosophia jam adolescente in divinarum rerum vexatione consensit. Scimus Epicharmum Doriensis comœdiæ principem, cum Xenophane, Homeri Hesiodique censore, de philosophia disputasse, et Pythagoreorum placita suis fabulis non sine magna laude accommodasse[1]. Ex triginta et quinque fabulis hujus auctoris, quorum tituli vel fragmenta supersunt, sedecim deorum alicujus nomine inscribuntur, non venerationis causa sed ludibrii, quæ Herculis voracitatem, Mercurii fallaciam, Bacchi ignaviam, Jovis impuros amores acerrime flagellarunt[2]. Ita Epicharmus quod Xenophanes graviter in schola, jocose in scena docuit[3] :

[1] Jamblich., *Vit. Pythag.*, 266. Plutarch., *Num.*, 8. CiceR., *Tuscul.*, I, 8. Plato Epicharmum comœdiæ auctorem fuisse eodem nomine quo Homerus tragœdiæ ait. *Theæt.*, 152 E. De Epicharmo Xenophanis censore vid. Arist., *Metaph.*, III, 5.

[2] V. Suidas, Ἐπίχαρμος. Anonym., *De comœdia*, III. Grysar., *De Doriens. com.*, p. 274. Stiévenart, *De la comédie grecque* (dans les mém. de l'Académie de Dijon, p. 10 et seq.). Bernhardy, op. cit., II, 456 et seq.

[3] Ap. Sextum Empir., *Adv. Mathem.*, IX, 193.

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε,
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστί,
Κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Videtur tamen comicus ideo præsertim in antiquam religionem artis suæ tela direxisse, quod Syracusis, Hierone regnante, homines divitiis et auctoritate pollentes lacessendi copiam non facile obtinuisset [1].

Postquam a Megarensibus Athenas, feracem tellurem futuram, commigravit comœdia, vim suam primum a diis in homines convertit. Nec ea censura ὀνομαστὶ primum cives aggressus est ; sed communem quamdam a Cratete censuram fuisse expressam in scena, et deos quoque illæsos remansisse, ex Aristotelis elucet testimonio [2] necnon e fabularum quos superstites habemus titulis. Magnetis vero jam comicus occurrit Διόνυσος, Ecphantidisque Σάτυροι. Nempe comœdia bacchanalium licentia exorta, facetias primum et convicia quadam sacrorum veneratione temperavit ; deinde deum ipsum, quem patronum invocabat, jocis consociavit, donec pietatem cujus nata erat auspiciis, eo tantum retinuit, quod varias fabulæ partes hymnis in Bacchi aliorumque deorum honorem decantatis, distingueret. Mox fabula ipsa cum his carminibus nihil jam servabat commune, et quæ chorus medios intercinebat actus, non tam comœdiæ proposito quam solemnium consuetudini, qualia a majoribus fuerant instituta, conducebat.

[1] Cf. Ottfr. Muller, *Hist. de la littérat. grecque.* Trad. Hillebrand, II, 443 et seq.

[2] *Poet.*, V : Κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους. Cf. Themist., XXVII, p. 406. Supersunt fabularum tituli : Γείτονες, Παιδίαι, Τολμαὶ, Θηρία, Λάμια, etc.

Quum semel artis dignitatem adepta erat τρυγῳδία, non desiit ex omni parte cum primordiis suis congruere, et censuræ licentiam in deorum patrocinio servavit. Religiosis hymnis decorem addidit augustiorem et amplum semper concessit locum. Quod tamen artis magis quam meræ pietatis habendum est indicium. Nam postquam infelicitate temporum et exhausto ærario, choregia sublata est, pauca religionis remanserunt in fabulis vestigia; nihil jam sancte et rite in scena est decantatum, neque impium comœdiæ argumentum piis carminibus temperatum est.

Quod si ridiculum, propria comœdiæ materia, ex discordantibus inter se et invicem repugnantibus rerum aut personarum elementis profluit [1], necesse erat ut τὸ θεῖον humanæ imbecillitati pravitatique commixtum, communi alioqui sensu abhorrens, ad risum et vulgi delectationem detorqueretur. Divinæ civitatis status, qualis ab Homericis expressus fuerat, ad humanam conformatus similitudinem, suapte natura et conditione comicæ facundiæ admovet stimulos, et popularem procaciam pascit, simul atque labente pietate, homines, altiore eruditi doctrina, deum ratione atque mente concipere incipiunt. Tunc augustam deorum majestatem a philosophis definitam non jam impune licuit consociare humanis infirmitatibus et cum mortalibus vitiis παραλλήλως conferre, quin ultro ad παρῳδίαν, copiosissimum ridiculi fontem, incitaret. Nihil igitur mirum si, quo tempore philosophi in ἀνθρωποειδεῖς deos omnibus instructi armis processerunt, et jam cuique manca et e contrariis conflata esse natura eorum apparuit, poetæ comici opera sua inde

[1] Arist., *Poet.*, V. Τὸ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι, καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν.

locupletarunt. Olympiorum aula, ad exemplar domus regiæ ordinata, et quasi civilibus distincta gradibus, singulæ numinum personæ mortalium vitiis dotibusque instructæ, eo tantum absimiles quod forma et statura eminebant, dearum deorumque cum mortalibus societas atque connubia, ratione exacta utentibus aut indignationem, si philosophi, aut risum, si lascivi, movebant. Indignati sunt Xenophanes, Heraclitus, totus sapientium chorus; risit vulgus, ejusque interpretes, comici. Eadem illa humana vitia, mortalesque affectus in terrorem miserationemque conversa, epicos primum deinde tragicos aluerant, majestate operis incolumem præstante deorum dignitatem; sed a comicis in ludum adhibita, vel imperitorum patuerunt oculis, et Olympiis fulgorem quo animos perstringebant, detraxerunt.

Quin imo epicorum ipsa carmina illud genus irrisionis auspicata esse constat. Nam antiquissimis fabulis multa inerant ad delectationem potius quam ad venerationem, ad risum quam ad cultum composita. Documento sint apud Homerum Jovis Junonisque amores et domesticæ simultates [1]; documento sit Odysseia fere tota atque inter alia a Vulcano in Martem Veneremque structæ insidiæ [2]; in hymnis homericis, Mercurii doli et Anchisæ cum Venere congressus [3]; in Orphicis, Sileni cum Satyris [4] Baubonisque lascivientes personæ, quarum procacitatem non respuit mysteriorum gravitas; Herculis cum Cobalis aut Pygmæis certamina, et multa alia quæ enumerare

[1] *Il.*, I, 531 et seq.; XIV, 153 et seq.

[2] *Od.*, VIII, 256 et seq.

[3] *Hymn. homeric.*, III, IV.

[4] Cf. Preller, *Griech. mythol.*, I, 603 et seq. *De Baubone*, Lobeck, *Aglaoph.*, 318 et seq.

supervacaneum est [1]. Si, ut Aristoteles tradit, heroici carminis pater in *Margite*, quod tamen dubitatione non vacat, comœdiæ initium dedit « οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας [2], » conjicere licet in hoc poemate deos comice processisse et, sicut in Βατραχομυομαχίᾳ, per παρῳδίαν risum provocasse legentibus [3]. Quæ omnia velut diverticula pietatis, perstrictos divino splendore animos et heroum commotos facinoribus remittebant, lenique lascivia sacrorum temperabant majestatem. Nec verendum erat, donec integra persuasione homines fabulas omnes excipiebant, ne risus in contemptum evaderet, ne hilaritas impietate corrumperetur. Sed philosophia veram divini speciem adumbrante, non jam item se res habuit : excitata erat enim vis animi et ad deprehendendam numinum indignitatem omnimodo sollicitata. Ita veneratio paulatim evanuit, et quod Thucydides de pestilentiæ temporibus eloquentissime jactavit, moribus publicis videtur inhæsisse « ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως [4]. » Quod vel ex quotidiani sermonis usu, quem apud comicos servatum videmus, fit manifestum : siquidem apud veteres poetas cum ira sæpe atque querela, nunquam ad contumeliam et jocose dii compellantur, post bella Persica tritis, probrosis et prorsus humanis petuntur interjectionibus ; qui mos non semper meram indicat impietatem, sed deliberatæ impietati

[1] *De Cobalis*, PRELLER, I, 600, n° 5, et librum nostrum : *Etude sur les démons*, p. 135 et seq.

[2] *Poet.*, IV.

[3] Illud poema Pigres quidam videtur composuisse, frater prioris Artemisiæ, eodem fere tempore quo Epicharmus mythologiam comœdiæ prætexuit. Vid. SUIDAS, Πίγρης. PLUTARCH., *De malign. Herod.*, sub fine.

[4] THUCYD., II, 52.

causas præbet et desidentis religionis haberi potest testimonium.

Itaque comici, deorum sacrorumque irrisionem adhibendo ad operis sui propositum, munitam jam antea ab epicis viam sunt ingressi et patriæ religionis conditione abusi. Spectatores quoque habebant conscios vel potius auctores; qui nisi in ea licentia connivissent, nunquam futurum erat ut Olympus omnis ridicule deformaretur. Ad contumeliam statuas truncare, templa penetrare inceste, turbare sacra insolentia, sacerdotibus et choregis vim inferre capitale quidem erat, et graviter semper in hanc impietatem sævitum est [1]. Sed joci, facetiæ, cavillationes in deos nunquam ἀσεβείας crimini sunt prætextæ. Philosophi, poetæ, oratores omnis generis de diis leviter aut lascive potuerunt disserere, neque unquam legibus cautum est ne de divinis malediceretur [2]. Vel potius quæ in lege erant, nonnisi civili odio interdum fuerunt evocata, et ad plebis arbitrium in magnos viros [3] temere intentata, quod ex omnibus ejus ætatis ἀσεβείας criminibus elucet. Publice tamen per tabernas viasque urbis convicia in deos fuisse audita, olympiorum flagitiorum commemorationem, vel in ludibrium vel in excusationem mortalium factam, ex comœdiæ ipsius libertate possumus colligere. Quin imo, in civitate quæ libertatis amorem usque ad dementiam, dominationis

[1] De quo vid. Boettiger, *Aristoph. impunitus deorum gentilium irrisor*.

[2] Post Anaxagoræ judicium scripsit legem Diopeithes : (De quo vid. Th. Kock, ad *Equit.*, 1085.) Εἰσαγγέλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας. (Plut. *Per.*, 32.)

[3] Ἀσεβείας fuerunt accusati Protagoras, Anaxagoras, Socrates (Plutarch., *Nic.*, 23), Theoris quædam (Philoch., *frag.*, 136. Cf. Pseudodem., *Aristog.*, I, 79), Aspasia (Plut., *Pericl.*, 32), Phidias (ibid., 31). Cf. Curtius, *Griech. Geschichte*, II, 377 et seq.

omnis impatiens, provexit, quidquid supra communem surgebat mensuram, invidiosa quadam malignitate deprimebatur, quoties occasio suppetebat. Non bene poterat rideri nisi de eminentibus; atque ea fuit optimum quemque lacessendi facultas, ut deorum qui natura sua primores erant reipublicæ, eodem fere loco quo ceteri magistratus haberentur. De qua libertate eminentissimi viri, comicorum objecti conviciis, nunquam questi sunt. Quem infamarunt magis quam Periclem [1]? Quis etiam auctoritate sua facilius lasciviæ modum imponere potuisset! Nunquam tamen contumeliam reposuit, nunquam voluit comicorum procaciam amputare. Socrates placido vultu propriam suam irrisionem in theatro adspexit, neque injuriarum servavit in Aristophanem memoriam [2]. Falso sane traditur ab Alcibiade in Eupolidem fuisse sævitum [3]: qui Socratis discipulus, ambitiosus alioquin et famæ cupidus, grato animo liberiorem in theatro censuram accepturus fuisse videtur. Non eadem quidem patientia usus esse Cleo traditur, qui haud semel Aristophanem in jus rapuit, non propter convicia quæ nulli adhuc legi adstricta erant, sed privato crimine

[1] Lacessitus fuit Pericles a Cratino, Eupolide, Hermippo atque Aristophane. Vid. *Acharn.*, 530. MEINEKE, *Fragm. com. att.*, II, 1, 61, 148. Cf. PLUTARCH, *Pericl.*, 3. Lego in opusculo : *Aristophane et Socrate*, auctore ED. DU MÉRIL, *Revue des Deux-Mondes*, 1er juillet 1846, comœdiæ libertatem amputatam fuisse a Periclo (lege scilicet μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί. SCHOL., *Avium*, 67, ad Olymp., 85, 1), ut ludibria in se a comicis congesta ulcisceretur. Aliter MEINEKE, 1, 40. Sunt qui sacerdotali auctoritati legem illam adscribunt, quæ per tres tantum annos invaluit, et Pericle rempublicam adhuc tenente, abolita est; sub fine Olymp. 91, restituta.

[2] PLUT.. *De liber. educ.*, 14, Socratem fert dixisse : Ὡς γὰρ ἐν συμποσίῳ μεγάλῳ τῷ θεάτρῳ σκώπτομαι.

[3] Ita jam CICERO, *ad. Attic.*, VI, 1, 18. Cf. LEHRS, *Popul. Aufs.*, 397. MEINEKE, *Histor. critic. comœd.*, 119, et RANKE, *Aristoph. vit.*, § 9.

objecto : nec tamen quidquam apud populares judices profecit [1]. Quod si magni illi viri gravitate, ingenio, beneficiis in civitatem insignes, æquo animo comicorum pertulerunt facetias, nonne verisimile erat deos ipsos deformationi suæ sine ira in theatro adesse et Bacchi concedere solemnibus, ut pro sua parte communi gaudio prodessent? Hanc quasi magnanimitatem deorum præsumendo spectatores licentiam omnem poetis condonarunt in comœdia et nihil aliud quam delectationem visi sunt curare.

Poetæ igitur omnes uno impetu in hanc ditissimam artis suæ materiam ruerunt, ut ex titulis et fragmentis tot deperditarum fabularum fit manifestum [2]. Postquam lege cautum est ne in homines nominatim convicia proferrentur, poetarum lascivia et spectatorum malignitas ab humanis in divina conversa est, atque eo irreverentius Olympi infamavit dominos, quo terrestres periculosius erat lacessere. Media enim comœdia præsertim in antiquarum fabularum ridicula deformatione versata est, et Aristophanes eo ampliorem a divinorum censura fabularum suarum materiam mutuatus est, quo severitate legum a civilibus rebus et mortalium censura est prohibitus.

Iidem tamen comici qui facetiis omnis generis in religionem veterem cavillabantur, qui non commentitias solum fabulas et turpes superstitiones deridebant, sed augustissimorum numinum majestati in-

[1] Legimus in *vita Aristoph.*, tres lites intentatas fuisse Aristophani a Cleone. V. *Vesp.*, 1294. Cf. Ranke, §§ 5 et 6. Aristophanes ipse gloriatur in *Acharn.* (6) : Τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν. De qua mulcta vid. *Aristoph. vit.*, ex codice Venet. erutam.

[2] Longior est series fabularum, mediæ præsertim comœdiæ, ex mythologia petitarum, quam ut hic inseratur. De quibus vid. Stiévenart, op. cit. Bode, *Geschichte der dramat. Dichtkunst.*, III, 129 et seq. Bernhardy, II, 676 et seq.

ferebant manum, philosophorum consectati sunt disciplinas, quod juventutem corrumperent et deos a majoribus cultos esse negarent. Nec Aristophanis tantum is error fuit sed totius comœdiæ Atticæ; nam et Cratinus, Eupolis atque Amipsias philosophiam novam aggressi sunt, eodem quo Aristophanes nomine, et de Socrate sophistisque statuerunt tropæa [1]: quibus item consuetum erat, irreverenter de divinis loquentes personas inducere et ridiculas deorum species componendis adhibere fabulis. Eo ipso comœdia secum ipsa discors, imaginem populi Atheniensis expressit, qui jamdudum gliscente impietate, quanquam absurdis vetustatis placitis abhorrebat, philosophorum tamen respuebat disputationes et in eos specie religionis sæviebat. Comici, quum popularem favorem ante omnia ambirent, voluntate vel ingenio ipsi sapientium doctrina alieni, novatores habuerunt ludibrio, quorum audaciori scientiæ vel inscii dabant operam. Ita iisdem in fabulis repugnantia inter se, artis quodam miraculo, commixta animadvertere est, scilicet antiquitus traditæ mythologiæ deformationem, quia adultæ jam rationi parum respondebat, et criminationes in philosophos, quia patrum placita abolere conabantur [2].

Quod sane plausus obtinendi cupidine et vulgi opinionibus blandiendi consilio potest excusari : sed aliam quoque atque eam præcipuam causam habet. Ea enim apud Athenienses artis erat vis atque auctoritas, ea litterarum gratia, ut vel alienissima a populari judicio approbare valuisset. Sed in civitate libera,

[1] Vid. Schol., *Nub.*, ad v. 97, 180. Diog. Laert., II, 28. Cf. Hermann, *Præfat. ad Nubes*, XXXIV et seq.

[2] Quomodo contraria illa inter se concilientur, vid. infra, cap. IV,

ubi omnia nutu atque arbitrio plebis regebantur, ubi quisque civilium partium aut fautor erat, aut adversarius, comici veteres pro antiquis moribus atque institutis adversus novam licentiam velut in acie steterunt. Indulserunt temporum illorum desiderio, quum neque dicacitas apud plebem, neque effrenata apud plebicolas ambitio in discrimen rempublicam vocabant; ubi leges, majorum prudentia constitutæ, militaris fama per magna facinora parta, modicæ divitiæ, verum ingenii et corporis robur, in pace modestiam, in bello fortitudinem præstabant, ita ut civitas, de futuro secura et adversus fatorum iniquitatem munita, gloria simul atque otio frueretur [1]. Boni igitur civis officio comicus novatoribus instando se fungi arbitrabatur, ingruenti vitio moram facere, et avertere perniciem. Et quia mores veterum non fas erat a prisca religione divellere, commune eorum professi sunt patrocinium. Non immerito, si humana mens ad ampliora excitata consilia gloriæ stimulis, et altiore erudita doctrina, intra certos fines immutabilis consistere posset, si legum auctoritate ita refrenari, ut simplices mores cum exquisita ingeniorum cultura retineret. Sed ea demum est hominis mens ut parto bono nunquam placide fruatur, at propria sua vi ad majora semper tendat, et optimi desiderio præsentia commoda non dubitet amittere. Prudentibus igitur viris, qui ceteros in ludis, rostris atque theatro erudiendos suscipiunt et delectandos, ita est agendum ne progredienti humanitati unquam obsistant, ut vagantem et errantem coerceant.

[1] Εὐδαίμονες δ' ἦσαν ἄρ' οἱ ζῶντες τότ' ἐπί
Τῶν προτέρων. *Nub.*, 1028.

Cf. Cratin., *Fragm.*, 228. Μακάριος ἦν ὁ πρὸ τοῦ βίος βρότοισι πρὸς τὰ νῦν, κ. τ. λ., et Sophocl., *fragm.* (Nauck), 258.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTA IMPIETATIS EX ARISTOPHANIS COMŒDIIS COLLECTA.

Aristophanis religionem anquirentibus duplex aperitur via. Aut permixte excerptis ex ejus fabulis quæ ad unam et eamdem deorum sacrorumque speciem adumbrandam argumenta subjiciunt, ordine certo neque bis ad eadem reverti coactis licebit progredi; sed gravissima disceditur lege, qua magnorum virorum opera illorum vita atque fortunis æstimanda sunt. Aut auctoris ipsius secutis vestigia, fabulasque pro temporibus quibus effloruerunt perpendentibus, quominus unamquamque rem pluries forsan repetamus, non facile erit vitare. Utriusque viæ æstimata utilitate et circumspectis incommodis, eam ingredi potissimum libet, qua Aristophani comites quodammodo ire videbimur; ita tamen ut, summotis quæ minoris sunt ponderis, rectius ac liberius ad metam possimus festinare.

Tria genera impietatis in Aristophanis comœdiis, si pro nostris pensantur opinionibus, occurrunt: irrisio primum τεράτων, oraculorum, sacrificiorum, precationum, cærimoniarum omnium quæ ad cultum privatum publicumque pertinent, necnon sacerdotum vaticinatorumque, qui ejus cultus auctores sunt aut ministri;

convicia deinde in exteras superstitiones, quarum in dies magis crescebat favor, jactata; vexatio denique gentilium deorum, a veteribus celebratorum vatibus et per totam Græciam, non religionis tantum specie sed boni quoque publici causa, honores præcipuos usurpantium. Quæ tria genera impietatis, etsi simul aut ex ordine ab Aristophane fuerunt admissa, non eamdem portendunt gravitatem. Licebat Athenis in cultus apparatum, quippe qui sacerdotum magis quam deorum opera invaluisse putabatur, cavillari et in sacerdotes, nisi inter sacra, ludibria congerere, neque legibus aut consuetudine petulantiæ illi modus imponebatur. Exterarum superstitionum persuasiones aggrediendo, etsi sacerdotum, quorum commercio ibat obviam, invidiæ prodebatur, a crimine impietatis omnino tutus erat comicus, quia adventitiorum sacrorum censura gentiles deos et a patribus traditam religionem videbatur tueri. Itaque ex impietatis argumentis quæ colligere hic placuit, ea tantum apud Græcos habitura fuerunt aliquid momenti, quæ ex veteris religionis derisu, e mysteriorum deformatione ridicula repetere possumus; cetera morum nostrorum atque consuetudinis recentis exspectationi respondent. Quæ prædicta jam nunc necessaria sunt, ne ad nostram rationem Aristophanem impietatis insimulasse videamur.

§ 1.

Oracula, portenta divinitus exorta, initiationes, preces, sacrificia et omnem cultus apparatum componendis fabulis ridicule Aristophanes adaptavit: cujus irrisionis innumera fere sunt testimonia, neque tamen

magis auctoris demonstrant impietatem, quam invocationes seriæ deorum dearumque fidem testantur. Ne omnia recenseamus, gravissima tantum et proposito necessaria libet afferre.

Multis testimoniis accepimus augustissimam religionem a plebicolis in petenda tuendaque auctoritate contaminatam fuisse, qui sacerdotes sibi vocando in subsidium, falsis oraculis, ementitis portentis, plebem moderari et in ditione sua retinere conabantur. Quod jam de Themistocle, Atheniensibus suadente ut naves conscendant et ligneis confidant mœnibus, constat [1], successores ejus imitati sunt. Cleo quidem voluntatem deorum sæpius ambitioni suæ prætendebat, et magno Minervæ nomine adversus plebis inconstantiam utebatur [2]. Hunc igitur cum Aristophanes aggressus est, non immerito fabulam suam ex commentitia illa religione et lucrosa pietate locupletavit. Cui venerandum Minervæ numen ita admiscuit [3], ut pro nostris opinionibus irreverentia in deam non omnino vacaret, Atheniensibus vero innoxiam nec omnis pietatis expertem ridendi suppeditaret materiam; nam inter cavillationes, rusticiores aliquando et personis aptissimas, elucet quodammodo, leni risu temperata, veneratio his *Populi* versibus [4]:

> Οἴει γὰρ οἰκεῖσθ' ἂν ἔτι τήνδε τὴν πόλιν,
> Εἰ μὴ φανερῶς ἡμῶν ὑπερεῖχε τὴν χύτραν;

Etsi recentiori lectori nimius de magno deæ digito

[1] Herod., VII, 141. Cf. Arist., *Equit.*, 1040, ubi Paphlagon, Cleo scilicet, illius oraculi auctoritate suam confirmat. Non aliter botularius, v. 1049.

[2] Schol., *Equit.*, 1203.

[3] 1080 et seq.

[4] 1175.

jocus [1] jure potest videri, in simulacrum magis Phidiæ, paulo ante Παλλάδι παρθένῳ dicatum, quam in deam ipsam cadit. Quæ sequuntur, eodem instincta spiritu, ridicula simul et religiosissima, ostendunt quatenus sincera pietas apud ingeniosum populum comœdiæ possit congruere stylo et proposito. Effingere nobis liceat, Ludovico XIV regnante, eadem lascivia poetam usum fuisse in Mariam virginem, cui Gallia nuper dicata fuerat : num impietatis crimen potuisset vitare, num religiosam simul civilemque censuram effugere ? Impietatem tamen in his *Equitum* versibus frustra requiras, qui contra alacrem quamdam, liberam simul et integram religionem denuntiant, quam Græci soli noverunt, et quotidiana vitæ consuetudine sunt professi. Hujus plurima alia documenta in *Equitum* fabula occurrunt [2], neque indignum memoratu erit quod omnes fere actionis partes a precationibus, religione et lascivia temperate consociatis, incipiunt.

Injuria igitur in oraculorum illam deformationem, fabulæ illi, quæ licet ad civile tendat propositum, religiosa potest haberi, intextam, impietatis crimen quis jaciat : quam supervacaneum est fusius explanare. Germanicus auctor, in doctissimo libello, colligenda omnia et explananda oracula illa curavit, adjectis quæ ex *Pace, Vespis, Lysistrata* et *Nubibus* similia huic *Equitum* loco conferenda sunt [3]. Distinctionem fecit inter oracula quæ de suo jure inventa profert

[1] 1168.

[2] Vid. 1319, hymnos in Neptuni Minervæque honorem ; 551 et seq. ; 581 et seq. ; passim, 156, 500, 576, 763. Cf. C. Kock, *Aristoph. und die Gœtter des Volksglaubens*, p. 89.

[3] Behaghel, *De vetere comœdia deos irridente*, p. 19 et seq. Loci sunt *Equit.*, 128, 197, 797, 962, 1011, 1030, 1051, 1080, 1229 ; *Pac.*, 1063, 1090 ; *Vesp.*, 158 ; *Lysistr.*, 770 ; *Plut.*, 40 ; *Nub.*, 508.

Aristophanes, quæque ab aliis mutuatus est. Parum recte, nostra quidem sententia; nempe quæ a veteribus poetis vaticinatoribusque se commutasse fingit Aristophanes, ipse fabricavit plerumque ad propositum aut ita exornavit comice ut vix agnosci possent [1]. Computatis omnibus, ad triginta sunt loci superstitum fabularum, quibus vaticinatorum inane vexatur commercium. His addenda sunt quæ ex *Amphiarai* et *Telmesensium* deperditis fabulis conjicere possumus, quarum altera heroicum illum vatem, Æschylea tragœdia celebrem, ad traducendam μαντείαν deformaverat, altera gentem Cariæ, prodigiorum somniorumque interpretationibus clarissimam, Atheniensium ludibrio prodiderat [2]. His omnibus vel minimam impietatis suspicionem abesse, piissimorum vatum jam ab Hesiodi temporibus testatur liberum de oraculorum inanitate et vaticinatorum jactantia judicium [3]; gravissimo ceterum Thucydidis testimonio, scimus post Siculam cladem invidiam τοῖς χρησμολόγοις exarsisse, qui « τότε αὐτοὺς θειάσαντες ἐπήλπισαν, ὡς λήψωνται Σικελίαν. » Nihil enim nisi diuturnitas belli ex oraculis ceciderat [4].

Simul cum oraculis deridentur sacerdotes vaticinatoresque qui quæstum sibi inde et auctoritatem parabant, hi tamen maxime : non ita tamen ut pro recta accipi possit auctoris supra citati affirmatio, qui Aris-

[1] *Equit.*, 962. ad quem locum spectat POLLUX, X, 187. Cf. LOBECK, *Aglaoph.*, 966. Eodem modo deformata sunt vetera oracula : *Equit.*, 1011 et seq., 1036 et seq., 1059. Addenda : *Av.*, 967; *Pac.*, 1090.

[2] ARISTOPH., *Fragm.* (édit. Didot), 459 et 506. Ceteri quoque comici in commentitia invehebantur oracula. Vid. præs. Cratini *Trophonium* apud MEINEKE, II, 1, 141, et BERGK, 214.

[3] HESIOD., *Fragm.*, 114; *Op. et D.*, 483; THEOGN., 1075; PIND., *Fragm.*, 39. Vide plura apud NÆGELSBACH, *Nachhom. Theol.*, IV, 13, et VIII, 4. Cf. ARISTOPH., *Plut.*, 7-39.

[4] THUCYD., VII, 1, et V, 26; II, 54. PLUTARCH., *Nic.*, 8.

tophanem per prudentiam vel pietatem sacerdotibus ait pepercisse et tela sua omnia conjecisse in χρησμολόγους [1]. Sacerdotes nempe non contumeliis tantum sed verberibus onustos in *Avibus* et in *Pluto* habemus. Incedunt fastuosi habitu, sermone turgidi, avidi quæstus et digni qui *corvi* vocentur [2], non propter colorem, ut nebulonibus nostris consuetum est, sed propter rapacitatem; facete omnino venalem illorum artem, ampullosa verba et ad ostentationem composita Aristophanes perstringit, sive Hierocles commentitio vaticinio *Pacem* in lucem prodire vetat, sive in *Avibus* ἱερεὺς primum per ridiculos ambages τοῖσι καινοῖσιν θεοῖς precatur, χρησμολόγος deinde Bacidis fretus oraculo, sibi ἱμάτιον καθαρὸν καὶ καινὰ πέδιλα repetit, sive denique in *Pluto* Jovis Servatoris minister operam suam novo deo offert, apud quem cœnam paratam est reperturus, Olympio jejunio enectus.

Eadem libertate in sacrificiorum, initiationum, precationumque ridicula imitatione usus est Aristophanes. Quod ad preces votaque attinet, sicut in quotidiano vitæ usu nihil incipere solebant Græci quin deos sibi vocarent in subsidium, ita in comœdia, vitæ imagine, moris illius pene innumera documenta occurrunt, gravibus interdum commixta sententiis atque verbis ut religiosissimæ congruant consuetudini, ni tertio quoque versu cavillationes et facetiæ intercidant. In quo non impietas Aristophanis culpanda est, sed prædicanda ars mira, qui quum religionem admiscendam habebat fabulis, non voluit spectatores comœdiæ oblivisci propositi; inter seria comicaque dubium elegit iter, in quo risus veneratione excipitur,

[1] BEHAGHEL, op. cit., p. 21.
[2] *Pax.*, 1044 et seq.; *Av.*, 858 et seq., 959 et seq.; *Plut.*, 1171 et seq.

et immodicam lasciviam corrigunt pietatis officia. Ea vena ingenii et religionis respectu profluere jure dicas scenam illam *Equitum* qua inter εὐφημίαν et cum Pæanis cantu *Populus ille*, divinarum Athenarum princeps, exuta senectute, spectatoribus ostenditur [1]. Non aliter in *Vespis* [2] a votis et libaminibus comici judicii fit initium; non sine auspiciis solemnique cantu agricolæ liberandæ Pacis suscipiunt opus [3]. Gentiles illæ et veteri commendatæ usu cærimoniæ magnum primum Aristophaneæ comœdiæ locum sibi vindicant, rariores tamen prout totum opus evolvitur, quarum in *Avibus*, deinde in *Pluto* vestigia frustra requiras, quas post *Vespas* in reliquis quoque fabulis nimia petulantia corruptas reperire est.

Procacius jam a principio exterarum superstitionum apparatu, initiationibus præsertim comicus utitur. In *Nubibus* liberrime παρῳδεῖται mysteriorum formam, secretum, lustralia solemnia [4]. Strepsiades collocatur ἐπὶ τὸν ἱερὸν σκίμποδα, coronam accipit; Socrates hierophantis sermone atque habitu, sicut vulgo per Jovem, Neptunum et Minervam, « τοὺς τρεῖς θεοὺς » jurare solebant [5], Aera, Æthera, Nubes invocat, propria sua numina non aliter quam infra « τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν Γλῶτταν, τρία ταυτὶ » solos prædicat esse deos et stomachandus in discipulum « μὰ τὴν Ἀναπνοήν, μὰ τὸ Χάος, μὰ τὸν Ἀέρα » indignatur [6]. Σκίμπους pro tripode, corona, ἱεροφαντικὸς λόγος, farina lustralis, Nubium denique solemnis evocatio, Pythagorearum vanitatum ef-

[1] *Equit.*, 1319.
[2] *Vesp.*, 860 et seq.
[3] *Pax.*, 431 et seq.
[4] *Nub.*, 254 et seq.
[5] Cf. LOBECK, *Aglaoph.*, 316, et TH. KOCK, *Wolken. Einleit*, 32.
[6] Ibid., 424 et 627.

fingunt imaginem, et sine ulla veneratione circulatorias illas cærimonias perstringunt.

Quod idem in locum illum *Pacis* [1] convenit, ubi Trygæus cui mortem minatus est Mercurius, ἐς χοιρίδιον... τρεῖς δραχμὰς ab illo vult mutuari :

Δεῖ γάρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι.

Eleusinis enim qui initiabantur mysteriis, spem inde se bene moriendi percipiebant, porcique in his sacris immolare mos erat. Haud secus Samothracia mysteria, quæ in periculis quotidianis pollicebantur subsidium Trygæus commemorat, adversus pistillum illum, alterum Cleonem scilicet, quo Κυδοιμὸς et Πόλεμος, ridicula numina, civitates græcas in immani mortario conterere volunt, deorum illorum invocans tutelam [2].

Hæc si quis nimium velit urgere atque inde impietatis argumenta colligere, vereor ne æquum excedat modum. Quin imo *Lysistratæ* et *Thesmophoriazusarum* spurcitiæ, piissimis consociatæ carminibus, et in fano Minervæ Cererisque divino patrocinio commendatæ, etsi jure stuporem movent, probabile nullum de religione Aristophanis aut impietate indicium præbent. Dignitate enim quadam παρῳδίας, quotiescumque ad jocum illum poeta confugit, admonitos voluit spectatores, ne sacris gentilibus adscriberent, quæ delectationis causa cogebatur quodammodo in fabulam suscipere.

Si tamen non voluntatem auctoris, sed Atheniensium animos altius perspicimus, et de colluvie illa æquum ferimus judicium, licebit forsan dubitare

[1] *Pax.*, 371 et seq.
[2] Ibid., 276. Cf. LOBECK, *Aglaoph.*, 1219.

utrum inde archaïcæ pietatis incrementum, an potius cum morum corruptela sacrorum contemptus effluxerit. Ne de mirabili poetæ arte quæ diversissima in unum valuit conjungere disseram, nonne stupendum erit, carmina illa a protervis in fano Cereris atque Minervæ mulieribus [1], et a beatorum choro ad Plutonis fores decantata evolventi, tantæ majestati in tam effrenata licentia fuisse locum, et apud eosdem spectatores qui Æschylum, tragice tamen, ad mysteria alludentem pene interfecerint [2], tam facilem cum procacia impudentissima comicis divina commiscendi veniam contigisse. Utcumque se res habet, sive jam tum in meram superstitionem mysteria orphica et nocturnæ cærimoniæ degenerarunt [3], sive leges et magistratus bacchanali licentiæ multa concesserunt, fateamur erit necesse, non ita cultus illos potuisse commendari, si venerandi, neque ad priorem sanctitatem reduci, si corrupti : quin imo comica licentia magis atque magis deformabantur, ita ut e theatro in templum, a scena ad aras commigraret lascivia, et quod inter risum exceperunt spectatores pietate quadam temperatum, per risum, vix pietate admixta, venerarentur supplices [4].

§ 2.

Aristophanem a mystica omni religione abhorruisse demonstrant non solum ea quæ prædicta sunt, sed præcipue adventitiorum numinum et ex barbaris oriun-

[1] *Lysist.*, 1247, ad fin.; *Thesm.*, 663 et seq., 715 et seq.; *Ran.*, 324, 675.
[2] ÆLIAN., *Var. hist.*, V, 16. Cf. LOBECK, *Aglaoph.*, 77.
[3] De quo vid. LOBECK, ibid., 628 et seq.
[4] Vide Epimetrum.

dorum irrisio : in quæ non spiritu tantum comico elatus, sed civilibus inflammatus studiis et morum sollicitudine invectus est.

Vidimus jam Atheniensium maximam partem, sicut oraculis ambiguis et vaticinationibus stupebant, ita quoque ad initiationes et præstigias Asiaticorum sacerdotum concursare, qui se mentes placare posse, in præsens divina ope juvare et beatiorem vitam apud inferos procurare gloriabantur, atque magnum inde quæstum sibi faciebant; qui Adonidis, Sabazii, Cybeles, Cottytus ministri, diversis nominibus unam et eam flagitiosissimam religionem novitatis curiosos et nocturnæ libidinis illecebris allectos docebant. Cui superstitioni, magistratus [1] primum imponere frena voluerunt, quippe quæ non antiquæ modo fidei adulteraret integritatem, sed statum turbaret civitatis et bonis moribus esset infesta [2]. Sed frustra, gliscebat exterorum cultuum favor eo acrius quo tradita a patribus placita magis degenerabant.

Comici poetæ, vetustatis plerique fautores et artis suæ conditionibus ad notanda ridicula omnia, sive publica sive privata, proni, non potuerunt quin copiosum illum exterarum superstitionum fontem negligerent; unanimo consensu videntur conjurasse, ut magistratibus in sanandis mentibus et compescendo corruptæ pietatis ardore, darent operam. Jam anno 443 a. Chr. Cratinus *Thressas* docuerat [3], quæ comœdia, nomen a choro trahens, e sacerdotibus Bendidis deæ conflato, Periclem ipsum inducebat, Jovis terrestris habitu, Athenas Asiatici illius numinis cultum afferentem. Eupolis

[1] V. Lobeck, *Aglaoph.*, 627-670.
[2] *Strabon*, X, 471 E.
[3] Meineke, *Hist. critic. com.*, p. 125. Cf. Ranke, *Aristoph. vit.*, § 9.

in *Baptis* Thraciæ Cottytus orgia traduxit, Alcibiadi in fabula præcipuis assignatis partibus, quem secreti illius cultus, omnibus fœdati libidinibus, perhibuit peritissimum [1].

Idem Aristophanis in *Lemniarum* deperdita fabula propositum, sive quod Athenienses a pravis diducere religionibus vellet, sive tantum quia ex argumento per se ridiculo comicam suam facundiam sustentaret [2]. Quomodo in Bendidem, Threiciam quamdam Dianam, orgiastico cultu celebratam, invectus sit parum compertum. Superest inter pauca fragmenta, sensu omni destituta, versus ille quo peregrinam deam ab Atheniensibus receptam significari docet, qui deinde proverbii loco dictus est de iis quæ in honore sunt :

Τὴν κρατίστην δαίμον', ἧς νῦν θερμός ἐσθ' ὁ βωμός.

Samothraces Lemniosque deam quamdam coluisse Hecatæ atque Dianæ (ea namque Bendis putabatur) similem neque diversam a Proserpina, de qua jam Herodotus multa audiverat [3], demonstravit Lobeckius.

In *Horarum* fabula, cujus minuta tantum fragmenta supersunt, Minerva ipsa, Atheniense numen, incessit et adversus Sabazium, Asiaticum deum, non sine laude atque majestate æmulata est, quem sub fine Atticis ejecit finibus. Nulla nos comœdia melius docere potuisset, quomodo comice inter veneranda a

[1] HESYCH., ad verb. Κοττύτω. SCHOL., *Apollon. Rhod.*, IV, 144. LOBECK, *Aglaoph.*, 1007. Cf. JUVEN., II, 92. Vid. etiam TH. KOCK, *ad Aristoph. Aves*, v. 287.

[2] ARISTOPH., *Fragm.*, p. 491; de Bendide, vid. HESYCH., v. Δίλογχος, 'Αδμήτου κόρη, μεγάλη θεός. Cf. LOBECK., op. cit., 500, 1214.

[3] HERODOT., II, 51.

[4] ARISTOPH, *Fragm.*, 511 et seq.

patribus tradita numina et externos deos Aristophanes distinguere valuerit; utrum Minerva propriam suam majestatem quamvis in comico opere servaverit, an deformata quoque ludibrio fuerit a poeta habita. Utcumque se res habet, argumentum fabulæ ad Minervæ videtur spectare triumphum; in quam illa Ciceronis verba conveniunt [1] : « Novos vero deos et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati e civitate ejiciantur. » Servavit enim *Avium* Scholiastes ex *Horis* hunc versum :

Τὸν Φρύγα, τὸν αὐλητῆρα, τὸν Σαβάζιον [2].

Qui Sabazius Asiaticus est Dionysus, cujus fautoribus sacerdotes omnia fausta secunda et opima polliceri solebant. Sabazio ipsi tribuenda videntur verba, quibus telluris atticæ mira celebratur felicitas, ea specie quod incolæ diis dediti essent : Τούτοις δ' ὑπάρχει ταῦτ' ἐπειδὴ τοὺς θεοὺς σέβουσιν [3].

Cui veteris religionis fautor indignabundus respondet :

Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκας ἀντ' Ἀθηνῶν.

A Minerva cui *Horæ* adsunt comites ejicitur Sabazius, ridicule judicatus, ut in *Ranis* Euripides, Athenæque sicut ad mores antiquos, ita ad priscam religionem redeunt.

[1] *De leg.*, II, 15.

[2] SCHOL., *Av.*, v. 874. Φρυγίλος nominatur in festiva illa enumeratione qua singula deorum vocabula junguntur singulis avibus.

[3] Apud ATHENÆUM, IX, 372 B.

Qui fuerit Sabazii illius cultus et cur illum e civitate pellendum censuerit Aristophanes ex versu illo *Vesparum* potest colligi, quo Xanthias compellanti Sosiam et percontanti num Corybantum more furere incipiat, respondetur [1] :

Οὐκ, ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.

Commemorantur, ni fallor, bacchica orgia ex Thracia Phrygiaque Athenis invecta, quæ mos erat inter tripudia, et nocte favente, turpissimas voluptates celebrare. Quomodo cultum illum, bonis moribus adversum, Aristophanes pro castis patrum moribus et simplici pietate propugnans, infamaverit et Minervæ opera proscripserit, non satis elucet. Materia ipsa comica consuetudine videtur abhorrere, ni compertum haberemus, vel gravissimo argumento par esse Aristophanis ingenium.

In *Avium* fabula de qua plura infra disserentur, barbaros omnes deos notandos et infamandos curavit, sub Triballorum nomine, quod Athenis patriciis helluonibus dari solebat. Horum unus cum Neptuno atque Hercule legatus Nubicuculiam missus est ab Olympiis [2] : « Sicut olim homines tetros, importunos, truculentos, *Panduros* dicere solebant et *Turcas*, similiter illos feroculos (Athenienses) propter mores vastos et inconditos a Triballis denominatos esse, gente ferissima : Οὓς πάντες φασὶν ἀπολλύναι οὐ μόνον τοὺς ὁμόρους καὶ τοὺς πλησίον οἰκοῦντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ὅσων ἂν ἐφικέσθαι δύνωνται [3]. » Triballorum nomen per παρῳδίαν Aristophanes

[1] *Vesp.*, 10.
[2] *Av.*, 1565 et seq.
[3] Isoc., *Paneg.*, c. 89. Cf. Lobeck, *Aglaoph.*, 1037.

ad Threicia transtulit numina, Heracles nempe et Bacchos multiformes, quorum cultu externi sacerdotes populares superstitiones pascere et fovere solebant. Hi revera adversus patrios deos Athenis et in Olympia aula æmulari videbantur et ab antiquis Græcos avertendo aris, regnum sibi terrarum cœlique, extruso Jove et ceteris diis, vindicare. Hi jam πατρῷοι pro Apolline et Jove multis in civitate sunt facti [1]. In hos invehendo, ex omni parte doctissimi viri laudes Aristophanes meritus est : « Athenienses accusat, superstitioni cujusvis generis deditos, nova mysteria semper novasque religiones excogitantes, ipso philosophiæ studio in sacris privatis publicisque ita confusos et perturbatos, ut variis erroribus obnoxios se ostendant. Ejicite, ait, quæ extrinsecus his ultimis annis in urbem invaserunt ; tollite rerum novarum studium in rebus sacris intus domique exortum : paterno more nisi deos colueritis, quominus urbs subito incendio concidat non impedietis [2]. »

De nomine igitur Triballorum quam liberrime Pisthetærus jocatur, qui Τριβαλλὸν ἀπὸ τοῦ ἐπιτριβῆναι defluere affirmat [3]. Prometheus, Olympo transfuga, illos depingit barbaros deos, exasperatos fame, adversus Jovem rebellantes et extrema quæque ausuros, ni cum avibus pacto fœdere, via rursus ad commeatum pateat. Triballum deinde in scena videre est [4], atroci vultu, hirsutis crinibus, toga male defluente, cui indignabundus barbaram stoliditatem Neptunus exprobrat, facetissime exclamando :

[1] *Av.*, 1525 et seq. Οὐ γάρ' εἰσι βάρβαροι ὅθεν ὁ πατρῷός ἐστιν Ἐξηκεστίδῃ ;
[2] Ranke, *Aristoph. vit.*, § 9.
[3] *Av.*, 1530, 1520.
[4] Ibid., 1565 et seq.

Ὦ δημοκρατία, ποῖ προϐιϐᾷς ἡμᾶς ποτε,
Εἰ τουτονί γ' ἐχειροτόνησαν οἱ θεοί;

Sententiam interrogatus, ne græce quidem respondere valet, ita ut Hercules barbare sonantia verba pro assensu possit accipere et gulositati suæ fauste interpretari. Haud secus atque credula plebs, quum ancipitia oracula, necnon absurdas et sine significatu voces ad vota sua quadrare existimat [1].

Festiva illa alacritate corruptas superstitionum formas, ab Asiaticis civitati invectas perstringentem Aristophanem nemo erit qui neget boni civis officio et patriæ religioni deditissimi esse functum. Mirum tamen in urbe ob δεισιδαιμονίαν celeberrima aut iisdem diis cultum contigisse legum auctoritate comprobatum, aut tam liberam censuram permissam fuisse comicis. Unde illud saltem colligere licebit, virtutem illam quam *tolerantiam* nominamus, etsi antiquo caret vocabulo, non male sub attico cœlo floruisse, quotiescumque irreverentiam erga deos sacraque tuebatur artis decor et musarum patrocinium.

§ 3.

Leviter, et ad anxiam recentiorum religionem æstimantibus, impudenter semper de diis et de sacris omnibus Aristophanem esse locutum constat, qui in *Pace, Avibus, Ranis* atque *Pluto* non adumbrata solum sed expressa impietatis signa ediderit, in ceteris quoque fabulis, jam e carceribus egressus, quoties-

[1] Cf. Curtius, *Griech. Geschichte*, III, 56.

cumque occasio suppetebat, facetiis, conviciis, ridicula divinorum imitatione usus sit, neque ullum fere deum illæsum reliquerit omnino. Adeo ut, si qui forte censuræ videantur expertes (Cererem tantum exceperim cujus mysteria in Eleusino templo celebrata, legum auctoritate defensa et magnifico cultu exornata, post belli Medici memoriam, venerationem imperabant præcipuam), id casui potius et fabularum proposito quas superstites habemus, quam poetæ voluntati tribuendum videtur. Ceterum ex iis quæ supersunt perpendi potest, quid in deperditis, quarum plurimæ in religioso versabantur argumento, adversus pietatem commissum fuerit, neque vereor dicere, si integra Aristophanis opera ad nos venire sivisset vetustas, hunc libellum non commentariis sed testimoniis potuisse conflari.

Occurrunt nempe in iis quæ restant fabulis aut fabularum fragmentis, vexata, irrisa, deformata fere omnia antiquæ religionis numina, Neptunus [1], Aphrodite, Diana, Iris, Æsculapiusque; recentiores deinde dii et post Homerica tempora Græciæ invecti, Bacchus [2], Mercurius atque Hercules, hi tamen præcipue, sive quod non eadem vetustate atque alii commendabantur, sive quod populares facti, et quotidiano vitæ commercio admixti, comico propius accedebant operi. Ne a Jove ipso [3], Apolline et Minerva Græcorum πατρῴοις diis et Athenis maxima cum veneratione ha-

[1] *Av.*, 1565. *Pax.*, 39. *Acharn.*, 794. *Equit.*, 562. *Av.*, 1200 et seq. *Vesp.*, 123. *Plut.*. 643-747.

[2] *Ran.*, passim. *Pax.*, 180 et seq. *Plut.*, 1097 et seq. *Thesm.*, 1202. *Ran.*, 38 et seq., 465 et seq. *Av.*, 1565 et seq.

[3] *Pax.*, 722. *Av.*, 476. *Nub.*, 365 et seq. *Plut.*, 87 et seq., 124 et seq. De Apolline, v. *Plut.*, 7 et seq. Cf. 39. De Minerva, *Equit.*, 1080 et seq. *Av.*, 828 et seq.

bitis abstinuit Aristophanes. De immortalitate [1], justitia, sanctitate, quas virtutes theologi suis numinibus tribuerunt, ut supra humanam conditionem collocarentur, ridicula multa emisit; negationem ipsam deorum aut impiam certe dubitationem haud semel comice exornavit [2], ut constaret posteris Atheniensium quotidiani sermonis imaginem in his esse expressam et vulgarem fuisse opinionem illam in civitate, deos parum curasse quid de se homines sentirent. Licentiam illam de divinis omnibus jocantem et alacriter in delectationem vulgi vertentem quidquid occasio, argumentum fabulæ, mens libere per sacras profanasque res evagans suggerit, jam in *Equitibus* supra deprehendimus; et alio loco de *Nubibus*, cujus fabulæ summa ad antiquæ religionis et disciplinæ defensionem tendit, notabimus. Eam tamen eo minus licebit impiam vocare, quod fabulæ illæ spiritu, argumento, haud semel enuntiata poetæ professione, patriæ auxiliantur institutis et gentilium deorum patrocinium suscipiunt [3].

Deliberatæ impietatis vestigia occurrunt in *Pace* primum, sed ita ut tragicæ atque epicæ παρῳδίας excusatione, convicia in deos jactata sinon purgari omnino at saltem extenuari possent [4]. Dubitare tamen licet utrum poeta, pia mente instinctus, jucundæ irrisionis gratia, cum tanto contemptu de diis voluisset loqui. Si ex altera parte animadvertimus jam in *Vespis*

[1] *Av.*, 1224. *Ran.*, 629. *Ecclesiaz*, 779. *Tagenist.*, fragm. (apud Didot, 506). *Plut.*, passim. *Nub.*, 1080. *Av.*, 566 et seq. *Pax.*, 847.

[2] *Equit.*, 30 et seq. *Nub.*, 247 et seq., 366, 816, 1232. *Ran.*, 529. *Av.*, 1233. Ibidem, *De Diagora* ἀθέῳ, 1058 et seq.

[3] *Equit.*, 577 : Προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις.

[4] Vid. infra. cap. II. Cf. VAN DER SANDE BAKHUYSEN, *De Parodia in comœdiis Aristoph.*

quæ comœdia cum *Nubibus* atque *Equitibus* arcte cohærere videtur, procaciam quamdam liberiorem [1], pietatis tamen quibusdam indiciis temperatam præ se fert manifestum fiet, jam tum Aristophanem communi ipsius temporis irreverentiæ concedere, non deos quidem aperte negare quorum antea in *Dætalentibus* [2], *Nubibusque* susceperat patrocinium, sed a prisca desciscere fide et gnaviter comicam haurire materiam unde prius simplicem religionem aluerat.

Ipsum *Pacis* propositum sine aliquo deorum contemptu non explicari potest [3]; Trygæus enim, vinitor Atticus, cui præcipuæ in hac fabula partes assignantur, deos non sine contumacia bellorum et tumultus quo Græcia jamdiu turbatur, reos facit et indignabundus in eos invehitur :

> Δι' ἡμέρας γὰρ ἐς τὸν οὐρανὸν βλέπων
> Ὡδὶ κεχηνὼς λοιδορεῖται τῷ Διί.

Qui, postquam immundo scarabæo invectus, Διὸς καταιϐάτου portento [4], ad fores Olympi pervenit, non tam Pacis primum restituendæ opus subire quam deridendæ deorum occasionem videtur quærere. Portitor est Mercurius quem urbium tutorem προπυλαίου nomine invocare consuetum erat [5]. Emigrarunt ædibus dii, Jove auctore, in remotissimam cœli partem, unde neque prælia Græcorum adspicere neque perpetui belli fragorem audire possunt [6]. Solus relictus est

1 *Vesp.*, 158, 323, 386, 435, 620, 1007, præsertim 376 et 1532. Cf. C. Kock, *Aristoph. und die Gœl. des Volk.*, 94.

2 Aristoph., *fragm.*, 447.

3 *Pax.*, 54 et seq.

4 Ibid., 42.

5 Vid. Preller, *Griech. mythol.*, I, 326.

6 *Pax.*, 180 et seq.

Mercurius ut divinam supellectilem (qualem! dii boni!), χυτρίδια καὶ σανίδια κἀμφορείδια, quorum ridiculus ante oculos apparatus jacet, tueatur. Adsunt quoque commentitia numina, Tumultus atque Bellum, ex veteribus mythologis assumpta, quæ frustra pistillum ad Græciam conterendam requirunt. Nihil mirum si immodica insolentia hanc deformatam Olympi majestatem accedit Trygæus, quem jucundissime Germanicus commentator recenti cuidam « commis voyageur » comparat [1]. Conviciis primum a Mercurio exceptus, sed ne motus quidem, comitatem sibi et benevolentiam donis emit et renascentem post absumptas carnes iram feriarum promissione et non gratuitis precibus iterum compescit. Patera aurea et Jovis metum et fatorum curam quæ liberandæ Pacis consilio violantur, portitoris animo fugat, ita ut ipse pene nefario operi subsidium præbeat. Mercurius ille Aristophaneus, quem eadem specie expressum in Pluto habemus [2], alacris aliquid et jocosi præ se fert, quo jure *Figaro* nostro, mutatis mutandis, conferri potest. Quem antiquitus alioquin, non hilariter tantum sed comice celebrarunt hymni homerici, fratris Apollinis boves surripientem et inventa testudine placantem inimicitias [3]; qui levis caduceator ab Olympo ad mortales « itque reditque viam toties » et dolosus ipse latronibus omnibus, mercatoribus quoque, numen habetur tutelare; qui denique Ψυχαγώγου in commentitia Odysseæ parte fungitur officiis [4], et alacris prave, utpote innumera doctus artificia et multiplices

[1] C. Kock, op. cit., p. 96.
[2] *Plut.*, 1008 et seq.
[3] *Hymni Homer.*, III. Edit. Pierron, p. 525 et seq. Cf. Preller, I, 327 et seq.
[4] *Od.*, XXIV, init.

sibi titulos vindicans, operi cuiquam vel pravo vel honesto, dummodo victum sibi inde comparet, aptum se præstat [1]. E Chremyli domo procaciter exclusus a servo Carione, ἐναγωνίου tandem nomine excipitur, coqui primum servile officium facturus. Qui ita deum illum in duobus fabulis exornatum fuisse ab Aristophane reputabit, mirabitur minus fortasse cum derisu et obscœnum per jocum Ἑρμοκοπιδῶν in *Lysistrata* alludi facinori [2]; et quum Alcibiadis proditionem, hac Euripidis sententia innixus Aristophanes :

Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ,

παρῳδούμενος commemoravisset, ita turpi cavillatione impietatem, quam tot clades eluere nequiverant, quodammodo excusari.

Hæc tamen postea, quum primis confirmata experimentis, majora jam tentatura est Aristophanis impietas. Quæ vero in *Pace* lineamenta exstant irrisionis et velut semina, in *Avibus*, *Ranis* atque *Pluto* pleno flore pubescentia reperies. Olympus enim scarabæo non videtur indignus, in quo dii πορνοβοσκοῦντες dicuntur [3], et Ganymedis ambrosia paratissimum novæ aquilæ cibum præstabit. Nonne Opora Theoriaque, Pacis comites, impudenter meretricibus æquiparantur, et turpissimam mercedem pro amissa ambrosia accipiunt [4]?

His impietatem abesse, non eam quæ deos neget sed quæ illos in contemptum adducat, difficile erit demonstrare. De voluntate et consilio auctoris omitta-

[1] *Plut.*, 1097, 1175.
[2] *Lysistr.*, 1093. Cf. Eurip., fragm., 765 et 866.
[3] *Pax.*, 847, 724.
[4] Ibid., 885.

mus quærere : quæ tamen, peracta Aristophanis fabula, veneratio spectatorum animis superesse poterat qui deformatum illum Olympum, ad venalis cauponæ aut lupanarii similitudinem expressum, adspexerant?

Insequenti anno, *Aves* doctæ sunt in scena [1], in quibus Aristophanis ingenium, simul atque Athenæ ad fastigium potestatis et spei magnificæ altitudinem pervenerant, ad terminos ipsos lepidissimæ artis evectum est. Cui fabulæ doctissimi viri totius religionis deliberatam inesse censuram crediderunt. Neque injuria : quippe quæ divina humanaque omnia gratissimo facetiarum decore et alata quadam verborum sententiarumque libertate attingat, religiosis vero argumentis amplissimum tribuat locum. Nullam quippe placitorum veterum de diis partem præteriisse videtur, quasi de industria vocare in dubium omnia et facetiis deformare voluisset. Quidquid philosophi, Xenophanem secuti, in anthropomorphismo ineptum, indignum, recta abhorrens ratione, deprehenderunt, generationem deorum sese invicem in mundi regimine excipientium, barbarorum numinum cum gentilibus diis æmulationes, commentitiam immortalitatem, humana vitia atque flagitia ad Olympios translata, fœdos amores, Aristophanes collegit quodammodo et fabulæ suæ proposito intexuit. Quæ omnia recensenti dubitatio nulla de comici consilio remanere potest : nisi quis forsan ejus stultitiæ acutissimum virum velit damnare, ut ipse non perviderit, quum fabulam componeret, quod nos, philosophorum disputationibus edocti, ex ejus interpretatione non possumus non colligere.

[1] Cf. Th. Kock, *Introd. ad Aves*. C. Kock, *Aristoph und die Gœt. des Volksgl.*, 97 et seq.

Postquam sapientes omnis generis tamdiu elaborarunt, ut mythologiam sicut a veteribus poetis conficta erat, inanem esse et absurdam demonstrarent, aut ἐν ὑπονοίαις, physica divinis miscendo, interpretarentur, Aristophanes interpretationem suam affert, qua non priscam modo theogoniam, ab Homero constitutam atque Hesiodo, sed recentiorem quoque fabulis et sapientia commixtam, qualis ab orphicis progredienti rationi accommodata fuerat, divinorum scientiam perstringeret [1]. Pisthetærus, alter Prometheus, Jovis regno ominatur interitum; avium genus ab origine temporum regnasse in mundo profitetur, Saturni, Titanum et Terræ antiquius; cujus majores ignavia amiserunt tyrannidem, nunc Pisthetæro duce, ipsum est recuperaturum. Tam versuti oratoris inflammatæ facundia, quanto plausu aves futuræ majestatis accipiunt omen! Quanta alacritate celebrant, quæ jam non adversus Homerica placita, obsoleta et absurda, sed in Pythagoreos ipsos, ratione mythologiam explicantes, per jocos argumentantur et victrices in pugnam procedunt [2]! Quid prosunt veteres illi dii ἄνω σεμνυνόμενοι hominum et animantium generi [3]? Qualis, pro avium potestate, Jovis illa fastuosa potentia, Cereris ne panem quidem esurientibus largiri valentis munificentia, Apollinis medicina, Minervæ, feminæ virorum urbi imperantis, fortitudo? Condatur inter cœlum terramque avium civitas, Nubicuculia, quæ a nidore victimarum superos intercipiat et fame enecet Melia. Quin imo prohibeantur dii ne per terras vagentur mortales feminas stupraturi, et sicut Græci in

[1] *Av.*, 467 et seq. Ibid., 1565 et seq.
[2] Vid. infra, cap. IV.
[3] Ibid., 727, 581, 584, 829.

Lysistrata ad pacem, ita ad deditionem faciendam et imperium abdicandum cogantur [1]. Xenophaneum illud in mythologiam argumentum *Nubibus* quoque retractandis adhibebit Aristophanes, siquidem *Inferior sermo*, argutiarum impudentissimus professor, illustri Jovis exemplo adulteros absolvit [2].

Quanquam Græci non eadem severitate ac nos in moribus coercendis utebantur, neque amori corpora magis quam animos jungenti ulla infamia inerat, stupra tamen, adulteria, puerorum amores, pro flagitiis vulgo habebantur, in quæ leges, majorum instituta, philosophorum disciplinæ aut pœnas decreverant, aut gravem intenderant censuram. Illa tamen flagitiorum genera ab origine ita theogoniæ fuerant admixta, ut recta prævalente ratione, sapientibus viris præcipuam infamandæ religionis suppeditaverint materiam, deinde comicam quoque, necessitate quadam operis, lasciviam provocarent. Addebat stimulos ipsa Bacchanalium ebrietas et licentia, quæ flagitia omnia divina videbatur auctoritate tegere et voluptatum inflammare illecebras. Et quia nihil magis vulgi favorem captare valebat, imaginem deorum humanis vitiis flagrantium usque ad fastidium comici expresserunt, Aristophanes minus forsan quam ceteri, satis tamen ut hujus impietatis non diceretur expers; quam lepidissime, etsi breviter, cum Pisthetæri consilio voluit quadrare.

Jejuniorum igitur omni genere ad fœdus cum Avibus faciendum compellitur Olympus : adest Iris ad homines missa, quos de sacrificiis commoneret; comprehensa ab Avibus, inter clangorem et tumultum urbis cui πόλεμος οὐ φατὸς πρὸς θεοὺς suscipitur, ante Pis-

[1] *Av.*, 566 et seq.
[2] *Nub.*, 1080.

thetærum comparet [1], ridiculum in modum exornata, (πλοῖον ἢ κυνῆ;) conviciis et minis obruitur et inter jucundissimam tragœdiarum παρῳδίαν, quum impiæ civitati terriculamenta adhiberet, et deformata Æschyli majestate, Justitiam evocaret pœnas repetituram, Jovi minatur Pisthetærus interitum, et parum abest quin, Jovis exemplo, Iridi ipsi vim inferat : veterator enim novisse se profitetur quanti æstimanda sint Olympi fulmina [2].

Accendit præterea et stimulat Avium animos, Prometheus fabulosus Jovis adversarius, qui Nubicuculiam clam invisit, capite obvoluto et umbellam vultu prætendens, ne ab Olympio conspiciatur domino [3]; hic inopiam deorum, famis cruciatus, extremas obsessorum augustias, barbarorum numinum rebellionem enarrat, et suadet Pisthetæro ne ab incepto desistat, priusquam sceptrum Jovis Avibus, sibique τὴν βασιλείαν uxorem, ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνὸν τοῦ Διὸς καὶ τἄλλ' ἁπαξάπαντα impetraverit. Promethea excipiunt in scena legati, qui de pace jungenda ad Avium rectorem ab Olympiis mittuntur.

Legatio illa [4], jucundissimo poetæ consilio tres conjungit deos ita delectos ut aula omnis divina, qualis recentiorum numinum et exterorum accessione constituta erat, eodem involveretur ludibrio. De Triballo, barbaro deo, supra jam satis dictum ; Hercules post homerica tempora in Olympum receptus, et propter fortitudinem immortalitatem consecutus, sed origine sua et manifestis mortalis vitæ vestigiis humanitati propior, heroum ceterum patronus atque

[1] *Av.* 1202 et seq.
[2] De quo confer *Av.*, 476-570.
[3] Ibid., 1494 et seq.
[4] Ibid., 1565 et seq.

exemplar, non adeo supra terram escenderat, ut sicut in quotidiani sermonis usu, ita in comœdia vulgare aliquid, attritum et ridiculum præ se ferret. Qui statura, robore, fortitudine insignis, per παρῳδίαν immanis, truculentus, gulosus, rusticitate informis evasit. Hercules ab Epicharmo jam in scenam productus, et plerumque illius poetæ exemplo τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος [1], tritam mox et obsoletam præbebat comicis materiam, de qua cum fastidio Aristophanes in *Vespis* loquitur, ipse brevi eumdem in *Avibus*, deinde in *Ranis* adhibiturus. In *Pacis* quoque parabasi alluditur, Eupolidis Cratinique vexandi causa, ad Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους, quos non adeo respuisse Aristophanem cum prædictis exemplis testantur, quæ de *Dætalensibus* et *Æolosicone* deperditis fabulis comperta habemus. Euripides alioquin, in tragœdia illa comica quæ *Alcestis* inscribitur [2], quamvis deum fortitudine et magnanimitate insignem effinxerit, attamen consuetudini vulgari concessit, quum solitam ejus voracitatem non dubitavit gravissimo argumento consociare.

In *Avibus*, gloriosi militis sermone atque habitu, etsi de pace legatus missus est, conditorem primum novæ urbis contra jus gentium vult strangulare. Sed epularum nidore allectus, dignitate omni abjecta, quaslibet conditiones, dummodo convivio sit exceptus, probat. Neque quidquam prosunt Neptuni exprobrationes, preces, minæ; non Jovis solum tyrannidem, sed βασιλείαν quoque nubendam concedit, neque cohiberi potest quin pro pulte seque et Olympum totum avibus prodat. Parvo ceterum ipsius detrimento, si

[1] *Vesp.*, 60. Cf. *Pac.*, 741, cum Schol. commentar.
[2] *Alcest.*, 747 et seq.

Pisthetæro Solonis legum interpreti fides adhibenda est : quippe qui mortali, non legitima matre natus, hæreditate patris exclusus sit. Num melius plebes de veteris religionis stultitia certior poterat fieri? Num melius deos neque oriri, neque mutari, neque regno orbari, ut Homerici docuerunt, demonstrari? Quippe nihil horum ad deos pertinet quin avibus quoque, non hominibus solum, sit commune.

Dignitatem quamdam in legatione illa servavit Neptunus, veterum deorum et vere gentilium exemplar : qui equestris ordinis patronus et tutelare numen, a nostro haud semel splendidis celebratus carminibus [1], propter Atticam suam originem et civilem quodammodo auctoritatem, Aristophanis videtur ante ceteros deos vitaturus fuisse ludibria. Hunc tamen inducit vetulum, hæsitanti lingua, consilii expertem, ævo simul atque stultitia deformatum. Nempe genus omne deorum qui vetustate obsoleverant, significat; unus ex optimatibus deus, qui δημοκρατίαν quoque Olympo potitam detestatur, sed effetus et excors, adversus novatores imperium non valet tueri et silentio demum contentus est. Etsi in legatione illa honestiores partes quam ceteri, quorum alius perdite gulosus, alius omnino stolidus incedit, Neptunus accepit, attamen sermone, habitu, silentio etiam [2], eo magis debuit spectatoribus risum commovere, quod non auribus tantum sed oculis quoque deformatio illa prodebatur. Deus vero de quo publice ita licet jocari et ridere, deus esse desiit.

Concluditur legatio comœdiaque simul Jovis, de cujus morte in transitu mentio facta est [3], eversione;

[1] *Equit.*, 547 et seq.
[2] Ἐγὼ δ'ἐπειδὴ σφῷν δοκεῖ, σιγήσομαι. (*Av.*, 1684.)
[3] Ibid., 1645.

et Pisthetæri cum Basileia nuptiæ eodem celebrantur carmine quod Parcæ quondam Jovis Junonisque in honorem decantaverant [1].

Fingamus animo fabulam illam ita ad nos pervenisse ut auctoris nomen lateret : quis est qui eam facetissimam esse simul et audacissimam non censuram tantum sed negationem ἀνθρωποειδῶν deorum infitiabitur ? Etsi Aristophanem ex aliis fabulis tanquam religiosum poetam novimus, quid obstat cur illum in *Avibus* a priore pietate deflexisse omnino affirmemus; præsertim cum tot joci nullo sinceræ religionis indicio temperantur, et lyricis etiam carminibus deorum sacrorumque, quorum in patrocinio collocata erat bacchanalis lascivia, laus omnis abest? *Avium* igitur comœdiæ, qua perfectissima Aristophanei ingenii imago exprimitur, jure possumus affirmare opinionem poetæ exactam de omnibus quæ ad religionem pertinent inesse, et omissis quæ commentatores, falsa specie abducti, pro suo arbitrio excogitaverunt, contendere summam Aristophaneæ artis perfectionem, in ea impietate acquiescere, quæ Xenophanis acerrimam censuram, Platonisque gravissimam doctrinam superet. Si reputabimus circa Avium tempora comicum familiariter Socraticis uti, et in *Convivio* illo Platonico honestissimas tueri partes, nonne licebit colligere eum, exuta archaica pietate, amicorum suorum scientiæ extitisse participem, et comicam navavisse operam ut « Διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα [2] » commenta e civitate tollerentur ?

Pauca ex *Lysistrata* et *Thesmophoriazusis* ad propositum nostrum licet eruere, nisi quod infelicitate

[1] Ibid., 1731.
[2] *Nub.* 984.

temporum commotus, Aristophanes amissam fidem recuperare velle videatur : ita tamen ut vel Euripidi adversando, nihil animosi, nihil quod priorum *Nubium* renovet memoriam inveniat [1]. In *Ranis* contra, et multis annis interjectis in *Pluto*, ad fontem unde *Aves* effluxerant, alacri revertitur animo, et deos illos qui censuram primum, ipsa fabulæ conditione, effugerant, iisdem armis aggreditur. De *Pluto*, in quo aperte ad philosophos transiit, infra plura disseremus. Restat ut de Bacchi in *Ranis* ridicula persona loquamur; quæ tamen parum nos morabitur, quia quæstio pervulgata est omnibus et doctissimo viro opusculum eruditione insigne suppeditavit, quod nec nostro comparari nec a nostro deformari velimus [2].

Baccho, si rem ad nostri temporis consuetudinem æstimamus, eo magis debuit Aristophanes parcere, quod illius in sacris nata erat comœdia, patrocinioque licentiam erga homines ceterosque deos tuebatur. Hunc tamen deum ita tractavit Aristophanes ut in ridicula numinum serie præcipuum teneret locum, et sicut Hercules stoliditate, ita ignavia, mollitie, infirmitate ingenii emineret. Traditam hanc a Doriensibus comicis [3] et certis jam quibusdam lineamentis descriptam dei imaginem accepisse Aristophanem fateamur decet, ita vero ut eam, si voluisset, fabulæ suæ proposito non accommodare potuisset.

Suscepto consilio inferos adeundi et inde tragicum reducendi poetam, qui « μειρακύλλια τραγῳδίας ποιοῦντα [4] »

[1] De quo vid. infra, cap. IV.

[2] STALLBAUM, *De persona Bacchi in Ranis Aristoph.* Cf. BERGK, *Reliq. com. att.*, 152 et seq. RANKE, *De vit. Aristoph.*, § 11. TH. KOCK, *Introd. ad Ran.*, 27 et seq. ED. DU MÉRIL, *Histoire de la Comédie*, I, 410.

[3] Cf. BERNHARDY, II, 464.

[4] *Ran.*, 89.

exigat, Herculem convenit Bacchus, idem illud iter quondam emensum, ut ab eo doceatur [1]

λιμένας, ἀρτοπώλια,
Πορνεῖ', ἀναπαύλας, ἐκτροπὰς, κρήνας, ὁδούς,
Πόλεις, διαίτας, πανδοκευτρίας, ὅπου
Κόρεις ὀλίγιστοι.

Scena illa [2], ad risum potius excitandum quam ad explicandum propositum inventa, Bacchum ostendit crocea indutum tunica, qualis feminarum helluonumque esse solebat, leonina Heraclis pelle super injecta, rubro calceatum cothurno, arcu et clava insignem, ventriosum alioquin et tardum ut canescentem jam nebulonem decet. Comitem habet non Silenum illum, Satyrorum parentem, quo educatore et pædagogo usus esse ferebatur, sed servum quemdam Atticum, Xanthiam nomine, exomide vestitum, asino invectum et sarcina humeros premente. Ædes Herculis in vicinia Κεραμεικοῦ sunt sitæ [3], unde via per πύλας Μελιτίδας ad sepulturæ locum ferebat. Ibi peracto Herculis Bacchique colloquio, mortuum quemdam efferri cernere est, ut spectator iter quodammodo ad inferos cum duobus viatoribus videatur facere. De parodia Pythagoreorum, de animarum peregrinatione et purificatione suo loco agetur : unum illud ad propositum nostrum animadvertendum erit, scilicet quanta primum elatus jactantia, quali deinde ignavia depressus Bacchus incedat. Qui omnia magnifica de instanti periculo loquitur, et in ipso discrimine tam vecordem se præstat, ut nihil possit procacius

[1] *Ran.*, 112 et seq.
[2] 1-323.
[3] Ibid., 129. Cf. Th. Kock, *Introd. ad Ran.*, 33.

excogitari. Postquam in Charontis cymba ad Plutonis ædes perventum est [1] et tremor omnis evanuit, deum primum, Herculeo habitu, judex Æacus conviciorum effuso obruit flumine, quem subrepti olim Cerberi reum facit; quæ sequntur Bacchum simul atque Herculem, necnon Proserpinam et Tartari custodes lepidissime et liberrime perstringunt; immortalitas ipsa ne verberum quidem effugit βάσανον, donec apertis foribus, Proserpinæ de Bacchi divinitate quam nemo adhuc, neque ranarum chorus [2], neque Æacus agnovit, permittitur judicium. Non tamen ideo omnis dei irrisio tollitur, qui inter Æschylum Euripidemque judex sedendo atque arbiter, ignaviam exuisse ut stultitiam et stoliditatem assumeret videtur.

Deformationem illam perpendentibus non tam stuporem movet poetæ licentia, quæ artis atque ingenii excusationem potest afferre, quam Atheniensium in excipienda fabula plausus atque favor. Qui iterum fabulam doceri decreverunt et Aristophanem oleæ sacro ramo coronarunt [3]. Qui potuerunt non ferre modo sed coronare hanc lasciviam Athenienses? Immodica, ni fallor, poetæ irrisione admoniti, non deum in ridiculo illo Baccho agnoverunt, sed speciem comicam quamlibet, tanto nomine adornatam ut descensus Averni appareret probabilis et tragicorum inter se certamen legitimum judicem haberet.

Commentatorum enim plerique, Stallbaumium secuti, per Bacchi personam de tragicis sententiam ferentem, populum intelligi Atheniensem demonstrarunt, ita mobilem in litteris haud secus atque in ci-

1 *Ran.*, 460 et seq.
2 290 et seq. Cf. 460 et seq.
3 Cf. Ranke, op. cit., § 11.

vilibus rebus, ut mutaretur in horas, neque eadem domum rediret opinione, qua paulo ante in theatrum vel in concionem iverit [1]. *Symbolicam* igitur esse Bacchi speciem concedamus, in posteriore præsertim fabulæ parte, dum in priore quæ eum ab Herculis ædibus ad Plutonis ducit limina, αἶνον asini leonina pelle induti exprimit [2]. Bacchus enim jam e principio non Jovis se esse filium prædicat sed Σταμνίου [3]; neque fabuloso incedit circumdatus comitatu, sed ut civis Atticus e multis peregrinationem suscepturus. Quomodo, si vere deus esset, potuisset queri, πλεῖν ἢ 'νιαυτῷ πρεσβύτερον se evadere [4], quotiescumque juniorum tragœdiis intersit, et prædicare se apud Arginusas navali pugnæ adfuisse, ubi *Andromedam* legendo, Euripidis vehemens concepit desiderium? Num patronum illum ludicrorum scenicorum fugere decet utrum Iophon ipse suas fabulas scribat annon [5], aut ex Euripidis argutiis tantam capere delectationem, quas bonis moribus adversari compertum habeat? Non desunt plurima alia argumenta quæ obstant quominus in Bacchum tanquam in deum illudi existimemus [6]. Fuere etiam qui non communem quamdam Atheniensium speciem persona illa divino nomine exornata effictam arbitrarentur, sed de bene noto cive, Callia scilicet, Hipponici filio, qui leonina pelle navali pugnæ apud Arginusas interfuit, Aristophaneum Bacchum interpretati sunt [7]. Quod ad nos attinet, ingeniosæ

[1] De mobilitate illa, cf. Aristoph., *Equit.*, 518.
[2] Cf. Bode, op. cit., III, 360. Welker, *Æschyl.*, *Trilog.*, 526.
[3] *Ran.*, 22.
[4] Ibid., 18, 49, 52.
[5] Ibid., 75, 100, 104.
[6] Vid. 68, 120, 310, 488, 585, 1472.
[7] Hennicke, *Osterprogr. des Gymn. in Cœslin*, 1855. Cf. C. Kock., op. cit., 103, et Th. Kock, *Introd.*, *ad Ran.*, 31.

illæ commentationes et in plerisque probabiles, parum nos movent. Illud enim pro certo habendum est : sub Bacchi simul atque Herculis nomine aut habitu apparuisse in scena personam, infra servum ridiculum ignavia et ineptia collocatam, ita ut inter tenebrosi itineris pericula servus, etsi ineptus et scurrilis, specie quadam virtutis et constantiæ, Bacchum quemdam, sive deum sive civem, superaverit. Num sine impietate poeta potuit venerandum ita deformare nomen, et dubitationem injícere mentibus utrum de deo an de mortali convicia illa prolata sint ?

Si enim ab ipsius poetæ voluntate atque consilio, quæ difficile est definire, ad spectatorum animum avertimus oculos, et qualis, peracta fabula, imperitæ multitudinis erga Bacchum fuerit, perscrutamur, nonne religionem ipsam deformatione illa pollui liquebit et impietatis stimulos, postquam comica evanuerit lascivia, inhæsisse mentibus ? Quantumcumque fuerit Atheniensium in perpendenda comœdia acumen [1], quantacumque perspicacia, vel inscios occupabat dei contemptus et e theatro in communem vitæ consuetudinem transferebatur. In quo risus non satis potest animadverti potestas, qui in urbe alioqui religiosa, non veniam tantum procacissimo poetæ et multorum inimicitiis objecto, sed admirationem, plausus, coronas de publico meruerit. Ceterarum gentium licet evolvere monumenta et disciplinam investigare : nusquam eam æquanimitatem in divinis reperies; nusquam ingenii auctoritate tantam licentiam obtinuit. Mos est apud recentiores Galliam nostram cum Græcia, Lutetiam Parisiorum cum Athenis conferre et Aristophanes circumspicere novos : qui vereor ut un-

[1] *Equit.*, 232. Πάντως γε μὲν γνωσθήσεται · τὸ γὰρ θέατρον δέξιον.

quam exstiterint apud nos aut possint existere : siquidem turbatissimo superioris sæculi exitu, liberiori comœdiæ [1], præ Attica tamen moderatissimæ, silentium est indictum et nostris quoque tempestatibus egregii poetæ sine magno periculo, etsi principis aut artis tecti patrocinio, religiosas res in scenam non potuerunt deferre [2].

EPIMETRUM AD § 1.

Hæc omnia recensenti et percontanti qui Aristophanis fuerit animus in æstimanda mystica temporis sui religione, hæret judicium neque constare videtur utrum Eleusiniorum mysteriorum sanctitatem, Dionysiacique cultus ἐνθουσιασμὸν eadem levitate vel audacia quam Homericam et archaicam Græcorum fidem vexaverit, an contra immunia esse comica censura voluerit et spectatorum pietati commendanda.

Quæ quæstio aut de industria propter difficultatem a commentatoribus est prætermissa plerumque, aut summatim tantum pro cujusque arbitrio tractata, ita ut nunc præsumptam quamdam Aristophanis pietatem demonstrarent, nunc, quod tamen paucis est usurpatum, ex comicorum licentia in hac patrii cultus parte effrenate ut in ceteris sæviente, jam tum orphica mysteria et eleusinia degenerasse inque meram superstitionem, si unquam vere religioso instincta fuerint spiritu, evasisse contenderent [3].

Quod ad nos attinet, quia demum ex superstitibus

[1] Beaumarchais, *Le Mariage de Figaro*.
[2] Augier, *Le Fils de Giboyer*. Sardou, *Séraphine*, *Daniel Rochat*.
[3] Ita fere Lobeck, *Aglaopham.*, 628 et seq.

Aristophanis vel fabulis vel fabularum fragmentis nihil erui posse videbatur, ad utramvis opinionem confirmandam, quod non statim contraria extenuatum fuerit, parum abfuit quin verbo poetæ, satis commodo sed scientiæ alienissimo, difficultatem effugeremus :

Grammatici certant et adhuc sub judice lis est.

Opusculo tamen nostro jam perscripto, venit in manus lucida commentatio et vel profanis evolvenda [1], quam si antea novissemus, hanc nostram elucubrationem æquo, alacri etiam animo, flammis delendam mandavissemus ; quæ commentatio, quum Aristophanis religionem ex omni parte explanandam curat et definiendam, Eleusiniis et mysticis omnibus superstitionibus ex Thracia Asiaque Græciæ illatis amplissimum concessit locum. Necesse est igitur nobis quoque in hac quæstione diutius subsistere et duplex facere periculum aut dissentiendi a magistro cui majora quam dici potest debemus, aut argumenta eleganter simul et erudite edita repetendi, quod non supervacaneum tantum plerisque sed ineptum etiam jure existimabitur. Confessio hæc saltem nostra veniam mereatur gregario, qui periculosum iter solus ingressus, sese inventurum desperaverat, quod jam antea a præclaro duce exploratum fuisse nesciebat [2].

Distinctio primum facienda est inter extraneorum numinum cultus et invectas superstitionum persuasiones, quas non Aristophanes solum sed omnes ve-

[1] J. Girard, *La Religion dans Aristophane. Revue des Deux-Mondes*, 1878, 1er août, 15 novembre.

[2] Multa quoque suppeditavit *Ranarum* editio a Th. Kock explicata. Berolini, 1868 (coll. Haupt et Sauppe).

teris comœdiæ auctores ridiculo impugnaverunt, bonorum morum cura et civili sollicitudine ducti. Non potest dubitari Cybeles, Adonidis, Sabazii, Bendidisque orgiasticam religionem damnasse Aristophanem, quam corrumpendis animis aptissimam et patriæ pietati adversam judicabat. Quæ supra attulimus fragmenta et commentariis amplificavimus, non ampliorem hic requirunt disputationem; pro manifesto habendum erit eo acrius comicos veteres his erroribus adventitiis institisse, quod ridiculi uberem materiam et boni in civitatem animi testandi occasionem præbebant. Apud vetustatis fautores comœdia illa qua Minervæ extollebatur imperium, infamatis Asiaticis numinibus, non artis tantum præmia sed pietatis merebatur.

Longe vero aliter æstimandum est de ea religionis mysticæ parte, quæ ab octavo sæculo per Atticam propagata, ita veteribus placitis est admixta, ut vix memoria originum ejus superfuerit, quæ contra Aristophanis tempore, altissimas radices in Græcum egerat solum et Athenarum aditus splendidissimo templo ædificato occupasse videbatur : Eleusiniorum nempe deorum, Cereris Proserpinæque cum Iaccho secretus cultus. Hic quanquam externis oriundus fontibus, post Persica bella non minorem in civitate quam antiqua Acropoleos numina favorem obtinuerat [1]. Gravissima sunt testimonia dignitatem ejus religionis prædicantium : quæ quia omnibus sunt nota et in alio libro a nobis explicata [2], commemorationem tantum hic expostulant. Occurrit in primis Pindarus [3], cui

[1] PAUSAN., V, 10; X, 31.
[2] *Etude sur les démons*, 132.
[3] PIND., *Thren.*, fr. 7. SOPHOCLES ap. Plutarch., *Aud. poet.*, IV, 21.

succinunt Sophocles Isocratesque celeberrimis locis, necnon Herodotus, Euripides, Aristophanesque ipse, ne ultra tempora, quibus hanc commentationem concludi velim, documenta requiramus.

Insequenti ætate, etsi venerabile remanet Eleusiniorum nomen, circulatorios quosdam cultus, initiationes ridiculas, piacula pretio coempta, turpes superstitiones in civitate gliscere nos docent Plato, Theophrastes, Demosthenesque [1], iis ferme verbis, quæ errores illos non adeo Eleusiniis mysteriis absimiles esse significent : neque facile est discernere utrum eminentissimi illi viri eodem contemptu antiqua illa mysteria, in tutela legum et magistratuum cura collocata [2], quam vulgares cærimonias, per compita urbis et privatorum domos libere delirantes prosecuti fuerint. Non aliter Aristophanes ceterique ejus ætatis comici, quum externas impugnabant superstitiones, jam tum maximo studio Athenis exceptas, Bacchi Cererisque mysticam religionem videbantur vexare, quæ vel in sermonibus vel in cultus apparatu multa cum popularibus erroribus communia habebat [3]. Nebulones saltem de Eleusino cultu eodem fere modo quam de ὀρφεοτελεστῶν et μητραγυρτῶν

Isocrat., *Panegyr.*, 28, quem transtulit Cicer., *Leg.*, II, 14. Herod., VIII, 65. Eurip., *Bacch.*, 74 et seq.

[1] Plat., *Euthyd.*, 277 E. *Gorg.*, 113 C. *Conv.*, 210 A. *Polit.*, II, 364 B. Theophr., *Caract.*, 25. Demosth., *P. coron.*, 313.

[2] Eleusinia archonti regi mandabantur curanda et senatui quingentorum. Cf. Pauly, *Realencycl.*, III, 89 et seq. (*Eleusinia*, auct. Preller.)

[3] Comœdiarum quoque tituli superstites indicant mysticas nugas permixte fuisse venatas. Exstabant Antipatri Μύστις, Phrynichi Μύσται, Nicostrati Ἱεροφάντης, etc. De quibus Lobeck (629) : « Ibi comicorum aculei partim compotationes, pervigilia et lascivias perstringunt, quibus mulieres rem divinam facientes indulgere credebantur, partim tetras superstitiones et infames Fratricellorum et Beguinarum libidines. »

præstigiis jocatos esse demonstrat Alcibiades, cum sodalibus sanctissima mysteria inter pocula imitatas [1]. Sed id ipsum, quia non impune potuit committi, dum plena licentia erat comicis in theatro, civibusque omnibus in privato de Sabazii, Adonidis, Cybeles aliorumque ejusdem generis numinum veneratione ridendi, manifestum fit distinctionem semper apud Athenienses invaluisse inter attica mysteria legibus et magistratuum auctoritate in patriæ religionis corpus redacta [2], et adventitias illas superstitiones, quæ nulli legi adstrictæ vix tolerantiam publicam nedum patrocinium obtinebant. Quin imo, δεισιδαιμονίας apud Theophrastum celeberrima irrisio, Æschinis cum matre ridiculis initiationibus dantis operam apud Demosthenem effigies, sacerdotum denique et vaticinatorum qui Musæi Orpheique commentitio freti nomine, divitibus præsertim placamina mentis et peccatorum veniam mercabantur, apud Platonem censura, non in patrium Magnæ Matris et Bacchi cultum cadunt, sed vulgarem superstitiosorum stultitiam deridunt. Lex enim qua Aristophanis ætate cautum erat ne profanarentur mysteria vel vulgarentur [3], nunquam abrogata est, neque destitit civitas post Peloponnesiacum bellum in impios sævire. Aristoteles auctor est [4] Æschylum, quum forte in aliqua fabula dixisset aliquid aut monstrasset, quod Eleusiniorum sanctitatem violare videretur, profanatæ religionis reum fac-

[1] PLUTARCH., *Alcib.*, 22.

[2] STRAB., XIV, 633. ANDOC., *Myster.*, 110-116.

[3] Non quia tacenda erant quæ in mysteriis aut agebantur aut dicebantur; sed quia sanctissimas cærimonias a trita quotidianæ vitæ consuetudine, audacia sermonum aut levitate tutas esse æquum censebant. Cf. PRELLER, *Realencycl. Mysteria*, V, 311 et seq.

[4] ARIST., *Eth. Nicom.*, III, 2.

tum et inscitiæ tantum excusatione indemnatum dimissum. Ne scenicam quidem mysteriorum imitationem, quam tragœdiæ majestas non deprimeret sed amplificaret, videntur tum passuri fuisse Athenienses, nedum ridiculam deformationem æquo animo adspexissent. Demosthenes adversus Midiam orans, vel solus documento erit, non cessasse postea in religiosis vim legum [1], et anxia quadam sollicitudine pro patriis habitis diis in irreverentiam omnem Athenienses gravissime semper animadvertisse, etiam quum religio omnis negligentia aut impietate ad interitum rueret.

Quî igitur Aristophani licuisset bis in comœdiis speciem mysteriorum ridiculo deformatam edere, in *Thesmophoriazusis* nempe atque in *Ranis*? Num Athenienses, voluptate quam ex scenicis ludicris percipiebant allecti, ne Eleusinia quidem, sanctissimam patriæ religionis partem, a Bacchanali licentia tuta esse voluerunt, sed deos sacraque omnia permixte deformanda tradiderunt comicis ? Aristophaneæ comœdiæ mysteria operi suo adhibentis recta interpretatio dubitationem omnem, ni fallor, amovebit.

Prædictis fabulis ortum dederunt tempora illa lætitiæ et comicorum arti infesta, quibus eversam Sicula clade potestatem gloriamque Athenienses restituere conabantur, et luctuosis depressi cogitationibus inauditam calamitatem, quæ amplissimæ spei successerat, privati reputabant, per vias et compita exsecrabantur [2]. Neque locus erat comicis per solitam lasciviam de civilibus rebus cavillandi, neque specta-

[1] Demosth. *in Mid.*, 517 et seq. Cf. *in Neaer.*, p. 1385, § 116. Aristoteles, Stilpon Theophrastusque ἀσεβείας γραφῇ fuerunt petiti. Vid. Athen. XV, p. 696. Diog. Laert., V, 6; II, 116; V, 37, etc.

[2] Cf. Ranke, *De vita Aristoph.*, § 10.

toribus in theatro securam captandi voluptatem animus. Abjecit igitur noster, quam in *Lysistrata* adhuc præ se tulerat et omnibus ad illum diem præposuerat fabulis, curam reipublicæ; inque comœdia ex litterarum studiis quærente materiam, et suam et Atheniensium mentem a gravissima sollicitudine remittere tentavit.

Fabulæ ambæ Euripidis adhuc vivi primum, deinde mortui studium, quod castis moribus, veteri disciplinæ et legitimo artis judicio adversum arbitrabatur acerrime impugnant; ambæ quoque in deorum ita collocantur patrocinio ut inter aras et altaria, nunc in urbano Cereris fano, nunc in aditu Orci vel potius in Eleusinii templi limine, inducta mysteriorum pompa, agantur.

Tesmophoria sacra erant in honorem instituta Cereris, θεσμοὺς id est leges quasdam de humanæ vitæ consuetudine et præcipue de connubiis ferentis [1]. Docet nos Herodotus [2] solemnia illa jam antiquitus apud Pelasgos, Peloponnesum incolentes, viguisse atque inde ad gentes omnes Ionica origine transiisse. Celebrabantur Pyanepsionis autumnali mense, quo fruges serere mos erat, ita ut Attici soli ubertas, Cerere favente, et matrimoniorum casta fecunditas iisdem sacris et precibus jungerentur [3]. Quæ quamvis mystica essent et feminis tantum aperta, nullam admittebant initiationem; sed a liberorum omnium conjugibus, inter graves quasdam cærimonias, jejunia, abstinentiamque rei venereæ, unde cavillationes et

[1] Cf. Preller, *Griech. mythol.*, I, 639 et seq.

[2] Herod., II, 171.

[3] Περὶ τῆς τῶν καρπῶν γενέσεως καὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων σπορᾶς. Schol. ad *Lucian. dial. meretr.*, II, 1.

facetiæ non aberant, agebantur [1]. *Lysistratæ* propositum multa ex Thesmophoriorum consuetudine traxisse omnibus patebit [2]: quam ex omni parte in insequenti fabula Aristophanes expressit. Euripidem quum sibi, mulierum osorem, irridendum proponeret, non dubitavit fanum Cereris reserare, satis reverenter sacra imitatus, et lasciviam hujusmodi solemnibus propriam, in quæstum artis suæ vertere.

Illud iis animadvertendum erit, qui mores castos a religione sejungere nolint, apud Athenienses libidinum illecebris inter sacra concedi locum. Lascivis cavillationibus et liberiore ad nostrum judicium spectaculi apparatu Cereris majestatem violari nemini succurrebat. Vel antiquissima Cereris fabula [3] filiam requirentis non absunt deverticula quædam turpia (pro nostro more loquor) quæ Græcorum nemo, ut opinor, per indignationem excepit. Aristophanis licentia, oculis non pauca subjicientis in quibus severitas nostra offendit, sancto, sit venia verbo, documento provocata, item excusabatur. Infra ceterum adnotabimus quam pure et caste in *Thesmophoriazusis* comicus deos patrios precatus sit, qualia carmina sanctissimis fontibus detorta a choro canantur, quæ sententiæ de diis impios castigantibus et mortalia opera observantibus prædicentur. Non injuria C. Kock affirmare potuisse videtur [4], in hac fabula

[1] Cleomedes, *De meteorol.*, II, p. 112, in Thesmophoriis haud secus atque in Eleusiniis popularem in modum jocandi morem extitisse tradit.

[2] Abstinentiam præcipue rei venereæ, unde totius fabulæ propositum defluxit.

[3] *In hymnis homericis* (V, 202). Iambe facetiis (χλεύης) Cereris conatur animum remittere; easdem Baubo apud orphicos lasciviorem in modum adhibet. Cf. Lobeck, *Aglaoph.*, 818 et seq. : de Baubo et Cerere.

[4] *Aristophanes und die Gœtter des Volksglaubens*, p. 100.

Aristophanem, civitatis admonitum calamitatibus, ad priscam pietatem rediisse et pro sua parte, Cereris patrium cultum extollendo, ad majorum consuetudinem cives voluisse revocare. Adde quod lex περὶ τῶν ἀποῤῥήτων vix potuit in Thesmophoriorum celebrationem cadere ; quæ feminis omnibus communia, viros quidem arcebant, sed fideli tuta silentio neque fuerunt neque esse voluerunt. Ἀπόῤῥητα si quædam erant [1], quæ qualia fuerint non facile est scitu, ea omnia Aristophanes cum innocua cavillatione, mulierum intemperantiam carpente, prudens et facetus prætermisit [2]. Illud tantum concedere æquum erit, imaginem femineæ pietatis ab Aristophane editam longe diversam esse ab opinione eorum qui arcanum Cereris cultum moribus favisse castis credant. Sed censura magis inde Atheniensium quam poetæ impietas colligetur.

Ranarum jam supra propositum attigimus et Bacchi personæ interpretati sumus significationem. Plura tamen addenda velimus. Non ita difficile erit rationem reddere quo consilio et quibus cogitationum ambagibus ductus Aristophanes sicut Thesmophoria, ita Eleusinia cum comica simul libertate et patriæ religionis respectu expresserit.

Postquam Æschyli ex inferis reducendi atque ita Euripidis vexandi suscepit consilium comicus, necessario quodam modo obversabatur memoriæ fabularum series, quibus heroum ad Avernum descensus et umbrarum evocatio apud epicos tragicosque poetas illustrabatur. Nullius fere pervulgatum magis erat iter quam Herculis quem ferebant post Centauri cædem Eleusiniis initiatum purificatumque, *regna*

[1] *Thesm.*, 363.
[2] *Ibid.*, 629 et seq.

invia vivis visitasse, Theseique inde liberatorem evasisse [1]. Herculis commemoratio non potuit quin Bacchum similitudine quadam originis et divinæ conditionis fratri comparandum [2] evocaret, comœdiæ alioquin tutorem et proprium comici certaminis judicem. Quas partes Hercules non facile suscepturus fuisse videtur. Neque deerant argumenta quibus Eleusiniorum imitandorum consilium poeta non solum non respuerit, sed cum ardore quodam mentis et cupidine fuerit amplexus [3].

Superioribus annis, propter Spartanorum incursationes, pompa solemnis ex urbe ad Eleusim terrestri via quam peragere solebant, maritimo primum circuitu, deinde, post Alcibiadis reditum, inter militarem apparatum atque tutelam, hostium turba ex proximis collibus inspectante, celebrata fuerat [4]. Quanta spectatorum delectatio futura erat, si artis miraculo et salva pietate, Aristophanes in theatro illius pompæ imaginem posset restituere ! Nonne audax nimium pro alia tempestate libertas et in secura pace invidiam incensura, plausum apud Athenienses, tanta memoria adhuc commotos, adeptura erat ? In quo non fefellit Aristophanem ingenii felicissimi acumen, quippe *Ranæ*, aurea primum corona donatæ a judicibus, paulo post unanimo civium studio præter consuetudinem in scenam revocatæ fue-

[1] De Hercule initiato cogitaverunt EURIP., *Herc. fur.*, 613; PLATO, *Axioch.*, 371 ; de purificato propter Centauri cædem, APOLLOD., II, 5, 12; DIOD., IV, 14.

[2] Cf. *Etude sur les démons*, p. 119 et seq. Simul et eodem fere sensu nominantur ambo apud Homerum, *Il.*, XIV, 323.

[3] Hanc prioris *Ranarum* partis interpretationem edidisse WECKLEIN monet J. GIRARD, op. cit., 409 et seq.

[4] PLUTARCH., *Alcib.*, 34. XENOPH., *Hist. græc.*, I, 40. Ita ED. MEYER, quem secuti sunt TH. KOCK (op. cit. ad v. 316) et J. GIRARD, 411.

runt [1]. Ita Hercules ille Eleusiniis initiatus et Tartara invisens, prioris *Ranarum* partis consilium universum præcipuumque simul ornamentum, mystarum scilicet chorum, videtur suggessisse.

Videamus tamen quatenus Eleusiniorum mysteriorum sanctitatem poeta operi suo aptaverit, ut et impietatis effugeret suspicionem et satis perspicuam arcanæ illius religionis speciem ederet.

Eleusinia magna quotannis Bœdromionis mense Athenis celebrabatur [2], splendido apparatu et immenso ex tota Græcia concursu, non initiatorum tantum quibus templi patebat aditus, sed vulgi quoque profani quod cærimoniarum publicarum spectaculo, ludis et mercatione, ut nunc quoque mos est, tempus festum terebant [3]. Ne de mystarum ἀγύρμῳ, id est convocatione solemni, de præconis proclamatione (πρόῤῥησις) qua impii et scelerati a sacris summovebantur, de purificatione mystarum (ἅλαδε μύσται), de sacrificiis in deorum hæroumque indigetum honorem constitutis (θύα et ἐπιδαύρια) quæ sacra per quinque dies solemnia ipsa arcana auspicabantur [4], fusius loquar, vicesimo Bœdromionis die, inter pios cantus, saltationes, variosque sermones satis longum iter ad celeberri-

[1] *Vit. Aristoph.*, IV, apud Ranke, op. cit., I, 1 et 11 (cf. *Argum. fab.*), et Th. Kock, *Introd. ad Ran.*, 18.

[2] Plutarch., *Alex.*, 31; *Cam.*, 19.

[3] Philostr., *Vit. Apollon.*, I, 18. Περὶ μυστηρίων ὥραν, ὅτε Ἀθηναῖοι πολυανθρωπότατοι. Servos quoque feriis publicis interfuisse ex inscriptione vetere apparet. *Corp. Inscr.*, n° 71. Cf. celeberrimum Herod. locum, VIII, 65 : Κονιορτὸν... ὡς ἀνδρῶν μάλιστά κῃ τρισμυρίων. Andoc., *De myst.*, 5 : Τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς ἢ θύειν εἰς ταύτην τὴν πανήγυριν βουλόμενοι ἢ θεωρεῖν.

[4] Hesych., v. ἀγυρμός. Cf. Lobeck, *Aglaoph.*, 831. Schol., *Aristoph. Plut.*, 431. Hesych., v. ἅλαδε. Plutarch., *Phoc.*, 6. *De gloria Athen.*, 7. Philostr., *Vit. Apollon.*, IV, 17 et seq. Cujus interpretationem vid. apud Preller, *Realencyc.*, III, 96.

mum in thriasio campo ædificatum templum initiati solebant peragere, jam vesperascente ab urbano Eleusinio proficiscentes, ita ut post noctem inceptam penetralia ipsa Cereris adirent [1]. Fastidium et laborem tanti itineris ut lenirent, ad Cephisi pontem initiati vel inter se vel cum profanis pompam inspectantibus cavillationes serebant omnis generis, quibus a γεφύρᾳ nomen γεφυρισμῶν inditum est. Pompa illa per viam Sacram quam magnificis continuatam ædibus scriptores tradunt [2], solemnium Eleusiniorum pars præcipua erat et multitudini civium hospitumque gratissima, tum propter apparatum splendidum et sumptuosa ornamenta, quum quia omnibus licebat interesse spectaculo, et dies ille feriarum ultimus erat.

Peracta pompa, τελεστέριον, penetrale scilicet Eleusiniorum numinum, initiatis reserabatur, ubi inter παννυχίδας [3], arcana omnia sive λεγόμενα sive δρώμενα ad cultum pertinentia a sacerdotibus (ἱεροφάνται, δᾳδοῦχοι, κήρυκες nominabantur) [4] vulgari solebant. Etsi propter silentium initiatis utriusque ordinis (μύσται, ἐποπταί) indictum, pauca tantum pernotuere quæ de dictis factisque illis nos certiores facerent, constat tamen a sacerdotibus fabulam Cereris cui filia Proserpina erepta primum deinde recuperata est, non solum sermonibus sed imitatione quadam præsenti fuisse expres-

[1] V. Preller, *ibid.*, 98, qui testimonia multa affert. Harpocrat., v. ἱερὰ ὁδός. Pausan., I, 36-38.

[2] Polemon, Periegetes dictus, initio secundi ante Chr. sæculi de magnificis ædibus viam sacram exornantibus scripsit libellum : cujus fragm. collegit Preller, Lips., 1838.

[3] De pervigiliis illis, v. Schol., *Aristoph. Ran.*, 333. *Ran.*, 370, 446. Soph., *Œd. Col.*, 1045. Eurip., *Ion.*, 1075 et seq.

[4] Vid. formulam εἰσαγγελίας qua Alcibiades, mysteriorum profanator, in judicium est vocatus, apud Plutarch., *Alc.*, 22.

sam [1] : de qua Plutarchus hæc tradit [2] : « Πλάναι τὰ πρῶτα καὶ περιδρομαὶ κοπώδεις καὶ διὰ σκότους τινὲς ὕποπτοι πορεῖαι καὶ ἀτέλεστοι· εἶτα πρὸ τοῦ τέλους αὐτοῦ καὶ τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη καὶ τρόμος, καὶ ἱδρὼς καὶ θάμβος· ἐκ δὲ τούτου, φῶς τι θαυμάσιον ἀπήντησεν, ἢ τόποι καθαροὶ καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο, φωνὰς καὶ χωρείας καὶ σεμνότητας ἀκουσμάτων ἱερῶν καὶ φαντασμάτων ἁγίων ἔχοντες, κ. τ. λ. Lucianum quoque auctorem habemus [3] ab initiatis in templi penetralibus, iter quodammodo per Tartarum confici, quo deinde in Elysiam felicitatem evadant.

His prædictis non adeo arduum erit perspicere quid ex Eleusiniis solemnibus Aristophanes ad *Ranarum* propositum converterit. Unum primum quod commentatorum nemini, ni fallor, hactenus notatum est : propriam nempe mysteriorum significationem et universam speciem formidandi itineris per tenebrosa loca, quorum sub exitu sacræ micant tædæ, beatorum nitent sedes, dulcisonæ voces obstrepunt, præmia initiatorum obversantur oculis [4]. Παρῳδίαν igitur habemus Eleusiniorum non in ea tantum parte quæ mysticum chorum inducit, sed in omnibus vel dictis vel factis, quæ Hercules primum de inferis cavillatur, quibus postea cum Baccho spectatoribus interesse datur. Imitatio tamen illa quæ mysteriorum formam totam amplectitur, ita quibusdam poeticis artificiis involuta est, ut multis vix intellectam fuisse verisimile sit, aut saltem propter vim comicam excusatam, quæ gravissima quæque alacriter et innocue in solutissimas facetias verterit. Neque irreverentiam poetæ culpare poterant, qui non tam Eleusinia quam philoso-

1 Lactant., *Instit.*, I, 21, 24. Serv., *Virg. Æn.*, IV, 609.
2 Plutarch., *Frag. de anim.*, 35, apud Stob., *Flor.*, CXX, 28.
3 Lucian., *Catapl.*, 23.
4 *Ran.*, 440 et seq.

phorum quorumdam et vatum somnia in inferorum descriptione versantia, videbatur exagitare : non enim ἀπόῤῥητα illa erant, sed multis libellis, carminibus, fabulis trita et obsoleta [1].

Mysteria quum ita in universum imitatus esset Aristophanes, ex singulis eorum partibus eas delegit quæ et fabulæ conducebant argumento et quas fas erat comice exornare, πρόῤῥησιν primum [2], qua non impios et barbaros sed comœdiæ adversarios et γενναίων ὄργια Μουσῶν contemnentes theatro abigit, Ἴακχον deinde, id est pompam qua mysticus Bacchus initiatorum chorum ex urbe ad Eleusim fingebatur ducere [3]. Qua imitatione non arcana silentio digna vulgabat, neque sacrificiorum purificationumque dedecorabat majestatem ; sed quæ frequens civium, advenarum, servorum etiam multitudo, pompa transeunte, adspicere et excipere poterant expressit : nihil erat quod novum, inauditum profanis et initiatis tantum reservatum videretur. Γεφυρισμῶν quoque imaginem restituit [4] quæ facetiæ atque joci comœdiæ quodammodo juris erant atque etiam comœdiæ ortum dedisse putantur.

Quæ omnia si propius inspicias, non tam de Eleusina religione dicta quam de Bacchica vel potius comica optime monuit doctissimus magister [5], cujus auctoritate hanc disputationem auspicati sumus. Religionis arcanæ præconia, deorum laudes, pii cantus ita commiscentur facetiis aut temperantur comœdiæ

[1] Cf. quæ infra de *Gerytadum* fragmento commentabimur.

[2] *Ran.*, 354 et seq. Quam non præfixit pompæ mysticæ sed intexuit, artis regulam non religionis morem secutus. Cf. J. Girard, op. cit., 413 et seq. Th. Kock, *Introd. ad Ran.*, 34.

[3] Ἴακχον τὸν ἀρχεγέτην τῶν μυστηρίων τῆς Δήμητρος. Strab., IX, 468.

[4] *Ran.*, 416 et seq.

[5] J. Girard, loc. cit. Cf. Th. Kock, adnotat. ad. v. 316 et seq.

commemoratione, ut totum opus non adeo ab Iacchi pompa dissimile sono atque sententiis videatur, Aristophanes tamen Μουσῶν ὄργια non μυστῶν celebret, et Κρατίνου τοῦ ταυροφάγου solemnia spectatoribus, non Δήμητρος mysteria initiatis aperiat [1]. Carmina pleraque a choro decantata, quanquam cum Eleusiniorum deorum invocatione conjuncta, ad proprium comœdiæ opus et palmam victori propositam spectant [2]. In quo Preller jure videbitur errasse qui versus [3] : « Σῶζε τὸν σαυτῆς χορόν : .... νικήσαντα ταινιοῦσθαι, ex ipsa Eleusiniorum consuetudine repetitos judicat, quasi mysteria celebrantibus præmia quædam fuerint proposita. Quia demum nusquam de tali more traditum est, carmen illud ταῖς πατρίοις τελεταῖς ταῖς τοῦ Διονύσου [4] non Eleusiniis erit referendum.

Ita Aristophanes in operis sui finibus constitit et anxiæ quorumdam pietatis qui vel temperatam sanctissimæ religionis imitationem vix passuri fuisse videbantur, suspiciones vitavit. Idem illud ex eo quoque elucet, quod simul atque ad τελεστερίου limen perventum est [5], chorum mystarum præter comœdiæ consuetudinem ex viris feminisque conflatum, demisit ; reliquam fabulam solito peregit more, neque τὰς παννυχίδας, arcanam Eleusiniorum partem, ultra in comœdia effingere, vel detorta imitatione, ausus est.

Sententiam nostram de Aristophane mysteria fabulis suis intexente, si paucis colligere volumus, af-

[1] Th. Kock, ad v. 356 et seq.

[2] Vid. v. 355-359, 368-372, 385-394, 395-414.

[3] *Eleusinia*, *Realencycl.*, III, 101, quem secutus est Kock, ad v. 392, uterque unico Aristophanis testimonio fultus.

[4] *Ran.*, 368.

[5] *Ibid.*, 440 et seq.

firmare licebit nihil neque in *Thesmophoriazusis* neque in *Ranis* occurrere quod legi περὶ τῶν ἀποῤῥήτων fieri possit obnoxium. Certiores tamen fieri cupientibus utrum sincera fide commotus an prudentia tantum et pœnæ metu solitam temperarit procaciam, nihil habeo quod respondeam. Satis spinosum fuit quæ exscripta ante oculos patent de quæstione illa interrogare : animorum scrutari latebras atque recessus pro dementia mera habendum esset, cujus saltem vel suspicionem liceat effugere.

CAPUT SECUNDUM.

QUIBUS RATIONIBUS ARISTOPHANIS IMPIETAS EXCUSATA FUERIT. PIETAS EJUS QUALIS SIT.

§ 1.

Etsi multa comicæ libertati sunt concedenda, neque sine injuria poetam sententiarum omnium quæ a dramatis personis in scena proferuntur, reum facere licet, perpetua illa sacrorum irrisio et sine intermissione omni religioni instans, dubitationem de Aristophanis impietate tollere videtur, præsertim quum ea fabularum proposito sæpius non necessaria fuerunt, sed auctoris tantum voluntate assumpta.

Fuere tamen judices, neque ii vilissimi, qui Aristophanem non modo ab omni impietatis vindicarunt crimine, sed religiosum quoque vatem et patriæ sacris deditissimum fuisse affirmaverunt. Audiamus doctissimum virum de vita Aristophanis commentatum [1] : « Quis opinari possit Aristophanem deorum quos civitas veneretur contemptorem esse? Quos quanquam ita in scena produxit, ut nulla omnino re-

[1] Bergk, Meineke, Ranke, doctissimos Germaniæ viros in suis libris de comœdia attica ita indulgenter nimis judicasse jure monet Grote, *Hist. de la Grèce*, XII, 147, in notulis. (Trad. Sadous.)

verentiæ veteris signa et vestigia appareant, sed fœdæ turpitudinis omnia plena sint : tamen non hos deos, quos irridere videtur, sed Athenienses accusat, superstitioni cujusvis generis deditos, etc. [1] ». Præclara sane a superstitionibus illos amovendi ratio, si Minerva Neptunusque conviciis obruantur, si nulla religionis forma illæsa aut ridiculi expers maneat !

Illius vero judicii, quia multis pro vero atque probato assumptum est, fundamentum nobis propius explorandum erit, ne præcipuam hujus materiæ difficultatem effugisse videamur. Sed priusquam ad rem ipsam veniamus, criticorum celeberrimorum evolvendæ sunt commentationes, si qui forte Aristophaneæ impietatis rationem probabilem ediderint qua possit cum religione in gratiam redire.

Occurrit in primis opinio eorum qui ridiculæ Olympi deformationi, in *Pace* præsertim atque in *Avibus*, nihil aliud inesse volunt quam liberam tragicorum epicorumque *παρῳδίαν*, sine ulla poetæ voluntate deos aut sacra patria lacessendi [2]. Quod jam secundi *Avium* argumenti auctor intellexisse visus est atque ita exposuit : Τινὲς δέ φασι τὸν ποιητὴν τὰς ἐν ταῖς τραγῳδίαις τερατολογίας ἐν μὲν ἄλλοις διελέγχειν, ἐν δὲ τοῖς νῦν τὴν τῆς γιγαντομαχίας συμπλοκὴν ἕωλον ἀποφαίνων ὄρνισιν ἔδωκε διαφέρεσθαι πρὸς θεοὺς περὶ τῆς ἀρχῆς [3]. Non aliter Trygæi ad Olympum iter et quæ inde sequuntur facetiæ, non deos ipsos petunt, sed *Bellerophonta*, Euripidis tragœdiam, cujus in prologo narratum fuisse apparet, heroem in aligerum Pegasum ascendisse ut in cœlum ad deos evolaret [4]. Qui cum inductus fuit in scenam super-

[1] Ranke, *Aristoph. vit.*, § 9.
[2] In primis Bœttiger, *Aristoph. impunitus deorum gentilium irrisor*.
[3] Apud Ranke, op. cit., § 9, sub fine.
[4] V. Schol., *Aristoph. Ach.*, 426. *Pac.*, 146, 76, 135. *Ran.*, 870, 1051.

bus, stomachosus, male contentus, de justitia deorum non modo dubitans, sed cum diis vel litigans eosque negans [1], irreverentiam Trygæi, de Græciæ statu querentis apud Mercurium, suggessit : ita ut Athenienses, illius tragœdiæ memoria pleni, Aristophanis propositum haud ægre intelligerent nec deorum irrisioni adscriberent quæ gratissimum in modum ad Euripidis vexationem composita fuerant. Necnon in *Ranis Gerytadibusque* [2] παρῳδίαν præcipuum tenuisse locum, concedere æquum erit, eos carpentem non poetas solum sed pictores atque philosophos qui in terrifica inferorum eaque inani descriptione versari solebant, et usque ad fastidium, ingenii sui testandi causa potius quam sincera fide instincti, imaginem illam Atheniensium subjecerunt oculis. Quæ παρῳδία non solum in toto fabulæ tenore et argumenti dispositione deprehenditur, sed singulis etiam locis atque personis elucet, neque a recentioribus semper intelligi potest, sed Athenarum spectatoribus acutum exercendi ingenium occasionem et ridendi amplam materiam suppeditabat [3].

Jure ex παρῳδίας frequenti usu Aristophanem posse repetere excusationes ad impietatis crimen diluendum, vel ideo fiet manifestum, quod apud Græcos poetæ religionis patriæ, ipsa rerum natura et veteri consuetudine, aut interpretes erant aut etiam artifices; neque fieri poterat ut qui eorum fabulas artis causa derideret, non fabularum materiam, religionem scilicet, videretur infamare : in scena præsertim, ubi

[1] Cf. Eurip., *Fragm. Belleroph.*, X, XVI. (Fr. G. Wagner.)

[2] De hac deperdita fabula, vid. infra, cap. III, sub fine.

[3] Παρῳδεῖται Aristophanes epicos, tragicos, lyricos, theologos, sacerdotes, oratores; tragicorum tamen amplissimum tenet locum deformatio. V. van de Sande Bakhuysen, op. cit. Cf. Bernhardy, II, 479 et seq.

« πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, » et, « τὰ ἤθη συμπαραλαμβάνουσι τὰς πράξεις [1]. » Religiosam poesim non posse sine magno religionis ipsius periculo ridicula imitatione deformari, pro demonstrato erit habendum, et nisi conniveamus, Aristophanis exemplo oculis incurret. At si comicus periculi illius anxiam rationem habuisset, uberrimus ipsi censuræ atque ridiculi fons fuisset conclusus, quum tragœdia tota epicorumque poesis in patria adornanda religione versatur; et deterrimorum poetarum prohibita fuisset censura, dummodo in veteris ætatis illustratione elaborassent. Ceterum Athenienses melius ac nos mortalium operum vexationem comicam ab ipsa religione quæ suppeditarat materiam segregarunt, et diis ipsis potuerunt servare venerationem solitam, somnia poetarum cum Aristophane habentes ludibrio.

Aliud in excusationem impietatis inventum argumentum [2] eorum est qui exempla trahunt ex litteris nostris popularibus, et religiosas mediæ ætatis fabulas evocant, in quibus Christus, divina mater, sancti atque angeli ridicule sæpius loquuntur et agunt. Quas opponere solent Aristophaneis comœdiis, nulla hominum, temporum, artis ratione habita, et si fidem facere possint, magno Atticorum detrimento. Quomodo, sinon aliis, non illi saltem rei attenderunt, scilicet mediæ ætatis *mysteria* vix artis præclarum mereri nomen et puerilibus jocis potius quam litterarum monumentis posse comparari [3]? Rudibus proposita

[1] Arist., *Poet.*, VI.

[2] Tritum et fere omnibus usurpatum. Effluxit, ni fallor, e Fr. Schlegel, *Athen.*, III, 257, in commentationes aliorum. Ita excusat impietatem nostri Deschanel, *Etude sur Aristophane*, 303. Cf. Bernhardy, II, 548, qui argumentum pro suo dubitat assumere.

[3] V. Monmerqué et Fr. Michel, *Théâtre français au moyen âge*. Qui

spectatoribus et simpliciter, ne inepte dicam, divina judicantibus, quanquam absurda plerumque et communi sensu carentia, non solum religionem non temerare, sed etiam spectatorum fidem fovere putabantur. Deinde eruditis animis et acriore judicio utentibus, *mysteriorum* auctores sacra in ludibrium de industria verterunt, et spectatores non jam pietatis sed delectationis causa theatra cœperunt frequentare. Tunc vero ab episcopis magistratibusque provisum est, ne ultra periculosa ars illa deliraret [1]. Non item apud Athenienses, sed longe aliter. Litteratissimo populo atque eo tempore in philosophia omnibusque liberalibus artibus instructo, proponebantur fabulæ sententiarum verborumque illecebris ornatæ, ab ingeniosissimo poeta ex ipsius ætatis uberrimis ridiculi fontibus depromptæ. Sicut poeta id quod fecit non potuit sine voluntate atque ingenio fecisse, ita spectatores convicia impia, irreverentes jocos et perpetuam divinorum irrisionem agnoscebant; quam non excusabant tantum, sed ultro expetebant, de religione ipsa parum solliciti, et delectationem ante omnia requirentes, nedum has fabulas ad confirmandam religionem pietatemque fovendam adhiberent. Adde quod eo magis comicorum impietas sæviit, quo magis intellecta est : nam simul atque lege prohibitum est ne de hominibus nominatim in scena malediceretur, in deos grassandi et libere cavillandi data est potestas [2]. Ne diutius in hac quæstione commore-

perlecta fabula « le Jeu de saint Nicolas, » auctore Joan. Bodel, vel « le Jus du Pèlerin, » auctore Ad. de la Halle, Aristophanis succurrerit memoria, is musarum templo qui ejiciatur dignissimus habendus est.

[1] *Histoire de la littérature française*, Géruzez, I, p. 267. Cf. Ed. du Méril, *Origines latines du théâtre moderne*, introd., 79 et suiv.

[2] Quod de Aristophane jam constat (v. *Aves*, *Ranas*, *Plutum*, ne de

mur : religiosa mediæ ætatis dramata, impia nos facimus plerumque nostra interpretatione et pro nostra judicantes consuetudine; Aristophanis fabularum pars quæ in sacrorum deformatione versatur, auctori, spectatoribus Atticis eamdem fere impietatem portenderunt quam recentioribus eam judicantibus; illud tantum interest.

Recentiora nostrarum religionum dogmata, censuræ omnis impatientia, non doctrinam modo antiquitus traditam et præcepta quæ ad deum referuntur auctorem, adversus curiosam investigationem muniunt, sed exteriorem cultus apparatum, mobilem sacrorum conditionem et sacerdotum ipsorum specie pietatis commenta, eodem sæpius habent loco vel majore veneratione excipiunt. Apud Athenienses, magna libertatis parte concessa, sicut novæ sacrorum formæ non respuebantur, dummodo non indigna commendarentur auctoritate et origine, ita quoque sacerdotum et cærimoniarum quibus vulgi mentes captare tentabant, publica permittebatur censura. Poterat Atheniensis impietatis suspicione vacuus esse, et Eleusinis dignus initiationibus, etsi Æsculapii abhorrebat miraculis, aut Corybantum deridebat tympana. Quod genus irrisionis leges nunquam prohibuerunt, neque ad ἀσεβείας crimen convincendum quisquam evocavit. Non excessit igitur in his ingenuæ et liberalis cavillationis fines noster, quæ tantum recentioris nostræ intolerantiæ causa superiori capitulo inserenda putavimus. Videre est interim quantum inter Atheniensium in religiosis vexandis libertatem, nos-

fabulis deperditis loquar) manifestius fit apud successores qui in comœdia media elaborarunt. Cf. Bernhardy, II, 594 : « Der parodischen Œkonomie dienten aber besonders die Mythen als poetische Hüllen interessanter Geschichten. »

tramque anxiam sollicitudinem intersit : unde manifestior fit error eorum qui tam diversa inter se voluerunt conferre et Aristophanis impietatem in christianorum exemplorum patrocinio collocare.

Non majore existimatione digna est distinctio qua Germanicus auctor, parum notus, alioqui disertus et satis elegans, crimine præcipuo nostri religionem vindicare conatus est [1]. Contendit enim Aristophanem quam accuratissime populares deos et præsertim recentes, ab iis quos πατρῴους nominare mos erat segregasse, illis tantum censuræ suæ intulisse flagellum, quum hos immunes et inviolatos reliquerit. Quod per se difficile posset defendi nisi satis subtili sed ea falsa interpretatione verborum rerumque niteretur. Per πατρῴους enim deos non idem esse intelligendum ait auctor quam si πατρίους voces : πατρῷοι habendi sunt Apollo tantum atque Minerva, neque Jupiter ipse hujus nominis honore dignatur [2]. Quod mihi non approbavit auctor et vereor ut cuiquam possit persuadere. Præterquam quod Jupiter quoque sæpe πατρίου nomen usurpaverit, non eodem tamen sensu quam Apollo a quo genus ducebant Athenienses, num tandem Minerva atque Apollo quæ sola vere πατρῷα numina volunt esse, Aristophanis ceterorumque comicorum impias cavillationes effugerunt ? Quod ad Apollinem attinet, utrum casu an poetæ voluntate non habeo quo nitar, nunquam ejus personam Aristophanis in fabulis prodiisse adnotandum est, neque ex reliquorum comicorum superstitibus fragmentis vel comœdiarum titulis affirmari potest illum unquam comice incessisse. Dequo in-

[1] Behaghel, op. cit., p. 7 et seq.

[2] De quo vid. Plat., *Euhyd.*, 392 D. Ζεὺς δ' ἡμῖν πατρῷος μὲν οὐ καλεῖται, ἑρκεῖος δὲ καὶ φράτριος. V. Schol. Venet., *ad Iliad.*, II, 371. Hesychius, ad v. τρεῖς θεοὶ, et Pollux, Onomast., VIII, 142.

fra rationem prohabilem afferemus. Petitur tamen neque sine acerbitate a Carione in *Pluto*, sed ita ut cavillationes a servili et ridicula persona emissæ, hanc saltem excusationem habeant [1]. Cur tamen Athenienses in Apollinem comice vexatum offendissent, qui illum haud semel eodem tempore ab Euripide mendacii atque stultitiæ insimulari passi sunt [2]. Minervam vero supra vidimus non aliter fuisse ludibrio habitam quam qui *πατρίοι* tantum nominati sunt dii. Ita est, ni fallimur : si quis totum Aristophanem æquo animo perlegere velit, difficile erit æstimare quos deos magis infamaverit. Et quia auctoris supra citati commentatio tota in hoc uno fere cardine versatur, subtilisque illa verborum distinctio ad nihil aliud valet, nisi ne Jovis celeberrima apud Aristophanem irrisio, argumentationem omnem evertat, liquebit nihil inde ad pietatem Aristophanis demonstrandam posse excerpi.

Venio ad Caroli Kock commentationem, « *Aristophanes und die Gœtter des Volksglaubens* [3], » quæ per se speciosa, et subtili verborum sententiarumque elegantia exscripta, impietatem Aristophanis cum casta religione commixtam, temporum et fortunarum vicibus quibus Athenienses aut elati aut depressi, deos modo neglexerint modo coluerint, explicare aggressus est. Sententia auctoris hæc est : Aristophanes ætatis suæ testis atque interpres comœdiis suis veluti in speculo quodam mutabilem Athenarum, ut in ceteris omnibus ita in divinis expressit imaginem. Ingredienti artis curriculum et primitias ingenii, *Dætalenses* scilicet et *Acharnenses*, sub Callistrati Philonidis-

[1] *Plut.*, 7. Cf. 39.
[2] *Elect.*, 1240, 1298. *Orest.*, 28, 277, 406.
[3] *Iahrb. f. class. Philol.* suppl. Bd, III, Hft, I, 1857.

que nomine in scenam deferenti, integra est persuasio nihil neque in civilibus rebus excogitari posse quod veteri patrum disciplinæ præstet aut comparetur. Sequuntur *Equites, Nubes, Vespæ* quæ fabulæ dissimili argumento ac stylo, eadem tamen non vena solum ingenii sed rerum omnium existimatione procedunt, scilicet ad priscam morum religionisque integritatem revocandos esse animos, et e civitate pellendum novarum rerum periculosum et in dies magis crescens studium. In *Vespis* tamen jam deliberatæ impietatis vestigia quædam deprehendere possis, dubitantis animi et minus religiosi indicia. Insequenti vero anno, expugnata Pylo et secundis omnibus Athenienses inflantibus, in *Pace* dii aperte petuntur, immoderatis obruuntur conviciis. In *Avibus* deinde, quam fabulam ebria quadam civitatis felicitate et supra humanam conditionem assurgendi cupidine natam esse diceres, impietas jam omnes transcendit fines et patriam religionem e fundamentis proruit. Huic tamen insanæ confidentiæ, quanta quamque cito succedit calamitas ! Nonne Nemesis illa, culpæ vestigiis insistens, de qua veteres poetæ præclara cecinerant, nimia felicitate lascivienti populo et deorum oblito ingruere videtur, atque Siculæ cladis ictu deorum venerationem, inter tot ambitiosas curas sublatam, instaurare ? Quam quidem apud Aristophanem ejus rei optimum testem, renovatam quodammodo vel potius renascentem, in *Lysistrata* primum, post etiam in *Thesmophoriazusis* videre est : quippe hymnis in deorum honorem decantatis latior etiam quam antea restituitur locus, et poeta deos revera humanis interesse rebus ex impiorum pœna colligit. Pietas tamen illa, semel et iterum anxiis turbata meditationibus, ægre ad priorem persuasionem potest reduci ; remaneant semper du-

bitationis sollicitæ vestigia necesse est, donec superante ratione et ingenio, divinorum cogitatio ab exterarum rerum spectaculo vindicetur et exsoluta omni vinculo, quæ sibi demum probata sunt aperte profiteatur. Resurgit interea et novum recipit robur Athenarum pene evèrsa potestas ; redit confidentia fractis jam et desperantibus civium animis, sed ita ut divinorum cura, ad quam reversi erant, rursus removeatur. Cujus *Ranarum* comœdia erit indicium, irreverentia simul et religione permixta. In qua animadvertendum erit, Euripidem cujus censuram præbet quam amplissimam, serio propter alia vitia tragœdiarum sive vera sive falsa esse vexatum, vix tamen impietatis causa et jocose, qui crimini tamen ansam multiplicem daret, carpi. Etsi Bacchi sub persona populus Atheniensis, non deus ipse deridetur, nonne magni momenti est ad propositum Aristophanis illustrandum, quod dei illius specie usus fuerit, Herculem inferorumque venerandam religionem tot conviciis atque facetiis infamaverit, quum non adeo difficile videtur Trygæo alteri et iter ad Plutonis ædes faciendum et judicium de tragicis pronuntiandum committere? *Ecclesiazusæ*, si ad religionem spectas, nihil fere neque ad impietatis crimen convincendum neque ad pietatem demonstrandam, suppeditant, nisi quod velut in transitu, cum acerba quadam irreverentia, de sacrorum venalitate paucos versus nec eos proposito necessarios inseruit [1]. Quid vero de *Pluti* procacitate quam ultimam suo nomine fabulam in scena Aristophanem docuisse constat, judicandum erit, in quo poeta non jam lineamenta impietatis adumbrare, sed, ut infra ipsi de-

[1] *Ecclesiaz.*, 779. Qui versus conveniunt cum EURIPID. *Philoct.*, *fragm.*, 784.

monstrabimus, in philosophorum castra, abjectis veteribus armis, transire et aperte adversus antiquam religionem grassari videtur ; ut si quis ab *Equitum* lectione sese ad hanc fabulam conferat, velut in aliam oram delatus vix illum Aristophanem agnoscere se putet, qui se

τῇ πόλει
Προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις [1]

gloriatur et ægram omnem sollicitudinem a mente removet. Non jam in plena lætaque luce ars comica florescit, sed tanquam in aere denso et morbido, spiritum trahit languentem metuque futuri oppressum. Neque injuria : nonne poeta vidit libertatem exstinctam, λιπαρὰς illas Athenas quas tanto prosequebatur amore fastigio gloriæ potestatisque eversas, Socratem cujus serius agnovit sapientiam amicitiamque est meritus, publico interemptum judicio quod ipse videbatur suggessisse ; philosophorum graves doctrinas turpibus mutatas superstitionibus, comœdiam denique proprio orbatam honore et civilium rerum, unde maximam famæ suæ partem duxerat, censura exclusam ? Quid mirum si, fortuna vertente et omnibus vitæ in pejus desidentis conditionibus, Aristophanis ingenium necessitati rerum concesserit, et a priore via deflexerit [2] ?

Huic præclaræ commentationi nihil habeo quod objiciam, et potius novis infra comprobare velim argumentis eam quam impugnare contrariis. Quam tamen oportet a Nægelsbachii Aristophanem interpretantis

[1] *Equit.*, 577.
[2] Plura hic ad sententiam Kockii addidimus argumenta, sed ita ut neque urgere neque extenuare eam videremur.

opinione [1], neutrum ab Hegelianorum criticorum de comœdia attica pro sua domo pugnantium argutiis sejungere [2]. Hi enim, quanquam diversis profecti a principiis, in eo tamen coeunt ut Aristophani permixtum religione simul atque impietate tribuant animum et quum *subjectivismi* (sit venia verbo) exstiterit adversarius, huic sophistarum philosophorumque omnium doctrinæ illum eodem indulsisse temporis spatio asseverent. C. Kock, ni fallor, Aristophanis opera pro diversis illius ætatis fortunis interpretando, quæstionem per se obscuram in bono collocavit lumine, quæ ut clarius adhuc illustretur, pietatem nostri qualis fuerit ostendere paucis in animo est.

§ 2.

Comœdia attica, ut jam supra dictum est, cum Bacchi religione atque cultu arctissime cohæret, et origine sua deorum aliquam poeticam celebrationem inter artis suæ elementa recipere cogitur. Aristophanes qui poeticis omnibus eminet facultatibus, sese in ea operis parte non minus egregium quam in ceteris vatem præstitit; si injuria temporum, qua maxima pars ejus fabularum perierunt, ceteræ quoque fuissent sublatæ, ita vero ut carmina in deorum honorem composita superessent, nemo exstaret qui non Aristophanem religiosissimum omium Græcorum poetarum

[1] NÆGELSBACH, *Nachhom. Theolog.*, VII, 23 et seq.

[2] HEGEL, *Æsthetik.*, III, p. 533 et seq., 559 et seq. TH. RŒTSCHER. *Aristophanes und sein Zeitalter*, qui affirmat comœdiam atticam esse : « an sich das Gegentheil dessen was sie ihrem Bewustsein nach ist, » p. 376.

fuisse profiteretur : tanta fuit illius in celebrandis deorum laudibus gravitas, tam simplex atque effusa in patriis sacris exornandis fides. Nemo tragicorum, nemo lyricorum quoque, ne Sophocles quidem atque Pindarus, sacram Palladis tellurem splendidioribus extulit versibus :

Παρθένοι ὀμβροφόροι
Ἔλθωμεν λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος, εὔανδρον γᾶν, κ. τ. λ.

In quibus ante omnia Atheniensium pietatem erga deos, templorum et cærimoniarum magnificentiam, sacrificia et initiationes prædicavit. Carmina illa a *Nubium* choro in scena decantata eo mirabiliora videri debent, quod cum persona cantantium minus congruunt. Nubes enim solas sapientium esse deas Socrates paulo ante declaraverat. Quæ nonnisi suam abjurando naturam, cetera Græcorum numina non possunt celebrare. Neque semel tantum patriæ religioni cedunt, propriam suam conditionem oblitæ, sed in parabasi, quum poetæ loquuntur nomine vel potius traditam comœdiæ consuetudinem servant, Jovem cœlo regnantem et mundi gubernatorem invocant, Apollinem, Minervam, Bacchumque civitatis tutores et totius Græciæ præsides justis adorant precibus [2]. Denique sub fabulæ fine ipsæ sibi ultionem impietatis repetunt, et Strepsiadem calamitate fuisse affectum profitentur, ideo tantum ut deos disceret revereri [3] :

Ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.

Nubium carminibus possunt comparari quæ in *Thes-*

[1] *Nub.*, 298 et seq.
[2] *Ibid.*, 563-595.
[3] *Ibid.*, 1461. Cf. 1467 et 1509.

mophoriazusis religiôse, rite et caste composita impudentissimis admiscuit spurcitiis Aristophanes. Ex ipsius Cereris penetralibus et arcana mysteriorum sanctitate profluisse credas versus illos, qui divino prope spiritu instincti ne christianis quidem sacris absoni viderentur :

Ἢν γὰρ ληφθῇ δράσας ἀνόσια,
Δώσει τε δίκην καὶ πρὸς τούτῳ
Τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἔσται
Παράδειγμ' ὕβρεως ἀδίκων τ' ἔργων,
    Ἀθέων τε τρόπων·
Φήσει δ' εἶναί τε θεοὺς φανερῶς,
        Δείξει τ' ἤδη
Πᾶσιν ἀνθρώποις σεβίζειν δαίμονας, κ. τ. λ.

In eadem illa fabula Diana, Juno, Mercurius cum Pane et Nymphis, Bacchus denique chorearum dux et comœdiæ patronus, hymnis prædicantur solemnibus ; dein sub fine, ne ullum gentilium numinum prætermittatur a poeta, Palladi, Proserpinæ atque Cereri suus cuique tribuitur honos, cum tanta varietate et copia, ut vix intelligi possit ab eodem poeta in eosdem deos toties ultima convicia fuisse congesta.

Attamen hymnorum illorum magnificentia, leni joco temperata, ea est ut comœdiæ simul proposito respondeat, et quamvis festivam, decentem tamen sacrorum præbeat imaginem. Ita apud Aristophanem quoque sicut apud Gallicum ejus imitatorem et æmulum, Rabelæsium scilicet, diversissima quæque conjunguntur : « une morale fine et ingénieuse avec une sale corruption [2]. »

[1] *Thesm.*, 663 et seq. Cf. 715 et seq.
[2] La Bruyère, *Caract.*, ch. Ier, p. 19. (Edit. Chassang.)

In *Ranis* quoque, unde plurima impietatis argumenta collegimus, patriæ religionis fontibus præclaram exhausit materiam Aristophanes, sed ita ut comica imitatione gravissima quæque in ludibrium verteret; quæ supra tractata hic quoque locus est urgendi, ne religione illa impietas comici plus æquo excusetur. Descendit ad inferos Bacchus ut inde optimum tragœdiarum auctorem secum reducat; quam ignavus, quam turpis, jam antea admonuimus. Ex quo sumpsit occasionem Aristophanes ut Eleusinorum mysteriorum festivam in theatro speciem effingeret [1]. Sed quia communi omnium studio provisum erat, ne mysteria illa profanarentur impietate, tanta arte facetiis miscuit gravitatem, justisque sacrorum laudibus temperavit et Bacchi et totius religionis irrisionem ut ridenda Bacchicæ licentiæ, seria poetæ pietati populus imperitus, *potus et exlex* assignaret. Qui tamen initiatorum choros altius perspicere volent, iis manifestum erit religiosa omnia consuetudini, impia vero fabulæ proposito esse tribuenda [2]. Carminum enim religio poetæ erat imperata; argumenti ipsius irreverentia ex ejus arbitrio libero et voluntate pendebat. Nihil vero impedit, etsi pietatem illam commentitiam et coactam judicamus, quin artis causa atque nomine, poetæ ingenio qui eam suo operi exornando adhibuit, et sacris patriis Græcorum unde majestatem illam carminum deprompsit plaudamus. Eamdem tamen ob causam dolebimus eo antiquæ religionis cecidisse venerationem vulgo, ut jam pro seria et honesta nequeat accipi, quæ se ita pollui et turbari patiatur.

[1] *Ran.*, 324-675.

[2] Alia apud BODE, op. cit., p. 267 et seq. Vid. ceterum *Epimet.* ad cap. I.

Multiformem illam sacrorum atque ancipitem imaginem effingendo, non tam infimæ plebis opinionem quæ potius anxiæ superstitioni dedita erat, quam equestris ordinis, cujus se partes amplecti profitetur, religionem nutantem atque dubiam secutus est Aristophanes [1]. Equites enim ingenuo loco orti et plerumque nova sophistarum informati disciplina, quid incerti haberent atque indigni veteres de diis fabulæ, perfecte intelligebant. Sed effrenatæ libertatis, cujus in dies ingravescebant vitia, adversarii, civili cura et ambitiosa sollicitudine, recentem democratiam a nova non sejungebant impietate. Gentilium deorum religionem non tam per se venerandam quam civitatis otio atque prosperitati utilem esse existimabant. Ideo in comœdia quæ equitum nomine et patrocinio commendatur, pietatem suam his profitentur verbis [2] :

> Ἡμεῖς δ' ἀξιοῦμεν τῇ πόλει
> Προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις.

Persuasum habebant sine deorum cultu urbem stare non posse, et quanquam cum philosophis de Homeri Hesiodique in divinis auctoritate disputabant, quanquam ex ridicula sacrorum imitatione maximam percipiebant delectationem, quia præteritæ ætatis indulgebant desiderio et priscum tentabant restituere statum reipublicæ, deos majorum simul cum legibus atque institutis publice commendabant multitudini. Faciunt cum Critia illo celeberrimo, ὀλιγαρχίας fautore, qui docuit in tragœdia deos ab hominibus sapientibus

[1] De Aristoph. equitum fautore, vid. O. Muller, *Hist. de la littérat. grecque*. Trad. Hillebrand, II, 405, et Hermann, *Comment. in Equites*. Th. Kock, *Introd. ad Equit.*, 24.

[2] *Equit.*, 576.

fuisse excogitatos, quo multitudinem facilius in sua ditione retinerent [1] :

> Δοκεῖ πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
> Γνῶναι δέον θνητοῖσιν, ἐξευρὼν ὅπως
> Εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι...
> Ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο.

Non ideo tamen laudatores illi temporis acti abjurant levem temporis sui elegantiam, frivolos mores, et liberiores de divinis humanisque sententias, quod ex ipsa Aristophanis fabula elucet ; invidiam enim deprecantur spectatorum [2] :

> Μὴ φθονεῖθ' ἡμῖν κομῶσι μηδ' ἀπεστλεγγισμένοις.

Quos verisimile est, postquam ita in theatro aut concione patriæ religionis causam egerint, inter pocula de iisdem diis liberrime cavillari, non Euripidis tantum, ut Phidippides in *Nubibus* [3], decantare carmina, sed Aristophanis poetæ sui facetias impias commemorare. Quid mirum ? Nonne nostris quoque tempestatibus videre est ingenuos viros multos, liberali instructos doctrina, qui vel oratione vel scriptis pro antiquitus tradita religione acerrime luctantur, seque si privatos scrutari mores liceat, ad jocosam non superstitionum modo sed archaïcæ fidei irrisionem paratissimos perhibent ; qui publico abstinent cultu et ex impiis libellis magnam delectationem capiunt, simplicem tamen pietatem commendant junioribus, et in incredulitatem invehuntur ? His simillimos fuisse equi-

[1] WAGNER, *Fragm. trag.*, III, p. 102. Cf. supra, cap. II.
[2] *Equit.*, 580.
[3] *Nub.*, 1371. *De Equitibus*, vid. TH. KOCK, *Ritter*, 23 et seq.

tes illos qui in scena patriis diis supplicant et Aristophanem equestris ordinis laudatorem libenter credimus. Pietatem suam nutantem vel potius eversam reipublicæ cura fulcire et restituere conati sunt; propriæque ambitionis causa pepercisse magis quam favisse diis patriis videntur. Horum partes secutum fuisse in civilibus rebus et studia per totius vitæ curriculum professum Aristophanem constat; sed quia πολιτικά non fas erat a patria religione divelli, comicus in theatro sicut equites in concione, mediæ cuidam se addixit opinioni in divinis, quæ locum daret amplissimum fabularum malignitati, non deos tamen eorumque cultum a patribus traditum sustinuisset e civitate tollere.

Germanicus auctor [1] qui adversus Bœttigerum Aristophanis impietatem diluere conatus est, parum in ceteris probabilis, illud tamen unum optime vidit et commentatione sua illustravit : scilicet Aristophanem Atticum se præstare omnibus in rebus et quæ ad rempublicam ejusque conditionem et quæ ad deorum cultum pertinent. Quocirca deos quos in *Equitibus* ἐγχωρίους vocat, etsi sæpius adversus illos et sine modo per impietatem atque irrisionem grassatus est, attamen, quotiescumque fabulæ proposito religiosa conveniunt ornamenta aut consuetudo lyricam sacrorum celebrationem expostulat, pio ore et sublimi instinctus spiritu precari visus est. Laudes enim illæ atque invocationes in Athenas ipsas redundant quodammodo et amori civium patriam tellurem commendant. Impius in ceteris fere omnibus, in eo saltem vere pius atque religiosus fuit Aristophanes, quod Athenas suas sincera prosecutus est admiratione quam religionem

[1] Behaghel, op. cit.

vocare possis. Quamvis ingenii acumine, recentioris sapientiæ communione et solita comœdiæ procacitate ad antiquæ religionis censuram insuperabili quodam impulsu ferretur, Athenis illustrandis sæpissime concessit, quod Olympo exornando voluisset denegari [1].

Hac quoque ratione intelligi poterit, ni fallor, cur Aristophanes quem Cleo haud semel γραφῇ ξενίας [2] in judicium rapuit, nunquam fuerit ἀσεβείας accusatus, etsi crimini illi comœdia nostri multiplicem ansam dederat. Nihil enim dicunt qui legibus in comicorum impietatem nunquam fuisse sævitum contendunt; fama enim traditum est Æschylum piissimum poetam vix sententiam effugisse judicum, quum in tragœdia aliqua Cereris arcana vulgasse accusatus fuerit [3]; et Euripidem qui Bellerophonta impie loquentem induxerit, ab irata multitudine in theatro pene fuisse oppressum. De Aristophane tamen, ceterisque comicis qui in religione perstringenda omnem excesserunt modum,

[1] In hac quoque re Ar. æmulatus est Cratinum, qui similibus carminibus civium admirationem sibi summam comparaverat. Vid. Ranke, *Ar. vit.*, XXXVI. Hac ratione explicandum est cur Apollinem, vere πατρῷον deum neque Aristophanes neque ceteri atticæ comœdiæ auctores in scena vexaverint, ad quem Ionici originem suam referre solebant. Ita quoque cur Ceres eas quoque facetias quæ vel Minervam lædunt, effugerit.

[2] *Equit.*, 475. *Vesp.*, 1284. Si auctori *Aristoph. vitæ* fidem adhibemus, ter a Cleone Ar. in judicium est adductus : « Ἐπείδη ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, καὶ ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε τὰς κληρωτὰς ἀρχάς; παρόντων ξένων.... Δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, κ. τ. λ. (Apud *Meinek. Aristoph.*, p. X. Cf. Bode, 222-231. O. Muller, 408. Ferd. Ranke, *apud Meinek.*, XVIII et seq. Th. Kock, *Ritter*, 23. Falsa vers. 5 et seq. *Acharnensium* interpretatione et permixta fabula illa cum *Equitibus*, concludit du Méri (Aristophane et Socrate. *Revue des Deux-Mondes*, 1er juillet 1846, p. 82), Aristophanem quinque talentis mulctatum fuisse quod Cleonem in *Equitibus* infamaverit, quum contra Cleo per equites talenta illa ærario restituere fuit coactus. Cf. Ranke, p. XXVII.

[3] Clem. Alex., *Stromat.*, II. Aristot., *Eth.*, III, 1. Senec., *Epist.*, 115.

nihil simile narratur et ne præsumi quidem potest. Bacchanalium lascivia favente, spectatores comicorum insolentiæ multa indulserunt, fateor, quæ in tragœdiarum gravitate non admisissent. Illustri tamen Æschyli atque Euripidis exemplo liquet non ita Bacchi patrocinio immunes fuisse poetas et inviolatos, ut libere possent quascumque de divinis humanisque opiniones proferre. Aristophanem igitur cæterosque antiquæ comœdiæ auctores, qui artis suæ conditione atque natura invidiæ atque inimicitiis multorum erant obnoxii, et indole propria fabularumque proposito in periculosa omnium censura versabantur, libenter conjectarim operam enixe dedisse, ut diis patriis lyricam comœdiæ partem dicando, Athenasque divinas celebrando, tuti ab accusationibus et de sycophantiis securi artem suam possent exercere. Quod si Sophocles, decantato illo Œdipodis choro ubi Athenæ splendidis extolluntur carminibus [1], non solum indignam filiorum criminationem a se avertit, sed inter judicum totiusque populi plausus ad domum suam fuit deductus, optimam sibi adversus inimicos providerat Aristophanes tutelam, et accusatus, opinor, aut *Nubium* exquisitum carmen, aut in *Equitibus* Neptuni Palladisque laudes, ne alia plura commemorem, in apologiam pietatis recitavisset. Nec dubitandum est quin crimine liber et ob pietatem laudatus etiam Heliastarum quos agitavit in *Vespis*, tribunali fuisset egressus. Æquum erit nos non severius judicare, et postquam poetæ meritam artis suæ coronam tribuerimus, gratuitæ pietatis atque sinceræ meritum, quæ Athenas tamen potius quam deos amplectitur, nullo modo denegare.

[1] *Œd. Col.*, 668. Cf. O. Muller, II, 476 et seq.

CAPUT TERTIUM.

ARISTOPHANES IN DIVINIS PHILOSOPHORUM FAUTOR.

Adeo pervulgatum est omnibus Aristophanem semper philosophorum ipsius ætatis extitisse adversarium, ut non sine gravissimis rationibus diversam a nobis opinionem suscipiendam esse putemus. Per quam si periculosum est multorum persuasioni offendere, illud saltem gratissimum, ab iniqua quorumdam sententia nostrum liberare, quem discordem secum fuisse affirment, id est communi plane sensu caruisse [1], quippe qui antiquæ religionis censuram simul et patrocinium amplexus fuerit atque ita fabulas suas aluerit ineptiis. Hoc graviore quam impietatis crimine, quia demum de comico agitur, si nostrum vindicamus, non laboris pigebit.

Cavendum tamen ne tot illustrium criticorum commentationibus ante oculos positis, novitatis dulcedine ebrii, voluptati mentis nostræ plus æquo indulgeamus. Nonnisi magno tecti patrocinio in aciem progredi velimus, scilicet a C. Kockii commentatione, quam jam supra in testimonium hujus judicii advocavimus, hanc quoque operis nostri partem auspicati. Qui cum lucidum non huic tantum quæstioni sed omnium antiquitatis poetarum interpretationi subje-

[1] V. Droysen, *Ad. German. Aristoph. translat.*, I, p. 264.

cisset principium, eorum scripta non uno tantum sub adspectu esse judicanda sed pro variis vitæ atque ætatis fortunis, Aristophanem docuit ad tempus artem suam direxisse, non vaga quidem et incerta opinione abreptum « πρὸς τὸν εὐπράττοντα τοῖχον [1], » ut Theramenes, sed boni civis et ingeniosi viri judicio in toto vitæ tenore usum, ita ut semper in comœdiis suis ea elevaret aut extolleret quæ bono publico et civitatis saluti conducere sibi viderentur.

Jam nunc retinendum est a principio, ne ruant hujus operis

subductis tecta columnis,

auctorem *Nubium*, sub vitæ finem in Socraticorum familiaritate vixisse et comicas suas facetias gravissimis illorum miscuisse sermonibus; commemorandum quoque Platonem de nostro optimum haud semel emisisse judicium [2], et honestissimas illi in celeberrimo *Convivii* dialogo partes tribuisse. Unde non solum potest colligi nullas jam, si quæ unquam fuerunt, in Socratis censorem, piissimo discipulo remansisse inimicitias, sed inter poetam philosophumque communia quædam fuisse studia, ita ut comicus suavitate ingenii gravissimum virum delectaret, ipse seria multa edisceret quorum vestigia in ultimis ejus fabulis deprehendi possunt.

Anaxagoram, Prodicum, Euripidem sapientiæ fautorem, Socratem et ceteros viros qui sophistarum aut

[1] *Ran.*, 534 et seq.

[2] Notissimum est epigramma :

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
Διζόμεναι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

(OLYMPIOD., *Vita Plat.*) De quo vid. RŒTSCHER, op. cit., 18, et C. KOCK, op. cit., 72. Correxit hic διζόμεναι et scripsit ζητοῦσαι.

philosophorum tunc pari nomine vocabantur [1], ab Aristophane acriter fuisse agitatos, cum curriculum artis intraret, non magis potest denegari quam Cleonis in *Equitibus* acerbissimam vexationem et ἀχλεαρχίας omnibus privatis publicisque vitiis gliscentis censuram. Sed ni nobis plus justo nostra placet causa, non solum juvenilem illum ardorem quo in philosophos processit, annis vergentibus ad senectutem, compescuit, sed jam a principio inter diversas illorum disciplinas, distinctionem fecit, alias severissime damnavit, aliis vel inscius concessit. Ostendere velim Aristophanis comœdiam religionem antiquam a prisca semper segregasse disciplina, ita ut hanc servare voluisset, neglecta illa, in παρέργου loco habita, quin imo philosophorum magis atque magis posthabita opinionibus donec in *Pluto* se aperte novæ sapientiæ profiteretur alumnum.

§ 1.

Etsi multiformes Aristophanis ætate exstabant in Græcia philosophorum disciplinæ de divinis disputantes, ad duas præcipuas formas, hujus nostræ quæstionis respectu, referri posse videntur, quas complecti simul atque inter se conjungere Plato postea aggressus est. Alii mediam quamdam, humana sapientia et exquisita antiquæ religionis interpretatione

[1] Σοφιστὴν, idem valere quam philosophum aut rhetora demonstrant inter alia verba illa Æschinis in oratione adversus Timarchum (p. 24, 33) : Σωκράτην τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε ; de quo loco Wyttenbachius, *ad Plutarch.*, IV, 655 : « Æschines Socratem nominat sophistam, ut orator, et alios docentem. Cf. Hermann, *Præfat. ad Nubes*, XXXVII.

commixtam doctrinam, qualis ab Orphicis, Onomacrito auctore, et Pythagoreis exornata fuerat, profitebantur; quæ cum corrigere potius et amplificare veterum placita quam damnare conabatur, in turbato illo animorum æstu et ancipiti divinorum sollicitudine, optimum piis mentibus præbebat perfugium. Alii Ionicorum, ut nominantur, innixi principiis et rationi tantum addicti magistræ, suam a priscæ ætatis erroribus ita segregarunt fidem ut nullam sapientiæ cum superstitione societatem esse vellent, et de integro templa sua censerent ædificanda, unius numinis fundata persuasione, quorum aditum non archaïcæ tantum religionis fautoribus, sed illius quoque cui *orphismi* nomen inditum est, denegarent. Ambas illas religiosæ sapientiæ formas ita vexavit Aristophanes, ut piissimæ maxime illuderet, ei vero quam pro illius temporis judicio vere impiam nominare licet, in multis videretur assentiri.

Vidimus jam recentiores deos quorum religioni posthomerica ætas incrementum dedit, Hermen, Bacchum atque Heraclem acriter lacessitos ; in quos probra multa atque convicia congessit, quasi indignaretur his recentioribus diis Apollinis Minervæque veneranda sceptra a multis deferri. Non vulgarem tantum orphismi partem, sed sapientiorem etiam, ea nempe dogmata quibus recentes theologi fabulas præteritæ ætatis tentabant interpretari et ratione probabiles reddere, in comicam convertit materiam. Inter multa alia, quæ risum ultro potuissent movere, utpote superstitionis turpissimæ indicia, in quibus deridendis perditarum fabularum plurimæ versabantur, ea elegit orphicorum placita, comœdiarum argumentis accommodanda, quæ fide dignissima et ad pietatem fovendam aptissima sunt : allegorice scilicet ex-

planatam theogoniam et de animorum natura atque immortalitate doctrinam. Theogoniam enim ἐν ὑπονοίαις interpretando, ab anthropomorphismi erroribus priscas de deorum origine, vicibus atque interitu fabulationes vindicabant orphici ; et animum divinum esse atque immortalem demonstrando, moribus stabilissimum fundamentum suppeditabant. Quippe qui spe beatioris apud inferos vitæ et pœnarum metu conscientiam placarent generis humani et ad virtutem colendam cohortarentur.

Nihil jucundius, nihil dulcius, nihil dicendi veneribus exornatius excogitari potest quam locus ille *Avium* [1], quo Pisthetærus, concionis alatæ ut favorem captet, divinam illarum et antiquam originem prædicat, naturam diis meliorem et mundi regimine dignissimam dicit, quo chorus deinde hac tanta facundia instinctus, orphicam ita παρῳδεῖται theogoniam ut a gravissimis sententiis carmen inceptum, magis atque magis lascivientibus comœdiæ jocis peragat. In quo neque ovum primogenitum, neque alatum amorem a quo deorum, hominum et animantium omnium propullulavit genus, poeta omisit et miro modo fabulæ suæ proposito et loquentium adaptavit personis [2].

Quid orphici de animarum ortu, natura, mutationibus atque fato tradiderint, nullam hic requirit explicationem et in alio libro a nobis summatim tractatum est [3]. Pauca tantum ad rem. Postquam exsoluta

[1] *Av.*, 485 et seq.

[2] *Ibid.*, 676. Cf. versus : Ἄγε δὴ φύσιν, κ. τ. λ., cum *Carmine aureo*, 55, necnon cum orphicorum fragmento ex Malela (IV, 31) et Cedreno, 58, ab Lobeckio (*Aglaopham.*, 580) eruto : Θῆρές τ' οἰωνοί τε, etc. Παρῳδία manifesta est. Cf Th. Kock, adnotat. ad *Aves*, 685 et seq. Quem tamen, sicut ceteros, versus illi Orphici et Pythagorei fugerunt.

[3] *Etude sur les démons*, ch. IV, p. 144 ; VI, 224 et seq.

terrestribus vinculis, anima ad meram suam naturam ac conditionem rediit, alii atque ii antiquiores in inferis ei sedem assignarunt, sive ut bonæ vitæ ibi acciperet mercedem, sive ut culparum elueret maculas et peccata piaret. Alii paulo ante Aristophanis tempora, eamdem de animis doctrinam cum astronomia consociaverunt, et sedem propriam bonorum collocaruntin astris. Inde genii radiantes ceteris hominibus, adhuc in terrarum exsilio degentibus, invigilare eosque tueri crédebantur. His Græcorum placitis miram inesse speciem non pulchritudinis tantum poeticæ sed rectæ etiam rationis nemo negabit, siquidem apud nos doctissimi viri et subtili exornati doctrina, nihil melius de conditione nostra futura invenerunt [1]. Quam Socratici a Pythagoreorum purgarunt erroribus, unde eadem ferme sub forma in christianam fidem translata est.

Utramque de immortali anima disciplinam Aristophanes novit atque risu conspersit, alteram in *Pace*, alteram in *Ranis*.

Trygæum ab Olympo reducem percontatur servus utrum alium quempiam hominem in aere vagantem viderit [2]. Minime, respondet,

εἰ μή γέ που
Ψυχὰς δύ' ἢ τρεῖς διθυραμβοδιδασκάλων.

Instat famulus, res in summo æthere gestas investigandi cupidus :

Οὐκ ἦν ἄρ' οὐδ' ἃ λέγουσι κατὰ τὸν ἀέρα,
Ὡς ἀστέρες γιγνόμεθ', ὅταν τις ἀποθάνῃ;

[1] V. inter alia, Figuier, *Le Lendemain de la mort*.
[2] *Pax.*, 827 et seq.

Cui cavillando Trygæus lucidas illas stellas e divitum stellarum esse numero respondet, quæ cæna redeuntes, accensas ferunt laternas ne in itinere offendant.

In *Ranis* Pythagoreorum placita de migratione et purificatione animarum spectatorum pene subjiciuntur oculis et comicam speciem induunt [1]. In scena videre est mortuum elatum, ad Acherusia properantem littora et recusantem quominus Xanthiæ loco sarcinas Bacchi auferat. Totum iter ab animis post mortem emetiendum spectator cum poeta peragit; nam Bacchus, dignitate sua commendatus, Charontis vehitur cymba, dum Xanthias servus, pedestris et circuitu facto, eodem convenit loci. Initiatorum quoque chorum præmia sua canentem et nunc serio nunc jocose celebrantem mysteria inducit. Quæ in scena non comparent peracta, Heracles, Bacchum de viæ periculis et portentis præmonendo, enarravit primum [2], ne ulla pars hujus fabulationis cavillationem effugeret. Empedocles, quem constat multa de inferis scripsisse cum magno Græcorum favore, Philolaus Pythagoricus, cujus placita paulo post Plato exornavit et amplificavit, comici petulantiam videntur aluisse; sive eorum libros in manibus habuit, sive fama cognovit. Sicut *Ecclesiazusis,* quæ tamen fabula multis annis prior est, civilia Socraticorum somnia ludibrio habuit, ita *Ranis* eam *Phedonis* partem quæ in inferorum descriptione versatur, expressam diceres [3].

[1] *Ran.*, 170 et seq.

[2] *Ibid.*, 139 et seq. Cf. supra, p. 56 et seq. *Epimet.*, 61 et seq.

[3] C. Fr. Hermann, *De Reipublicæ Platonis temporibus*. Ranke, *Aristoph. vit.*, § 12. Meineke, *Hist. crit.*, I, 289. Bergk, *Reliq. com. attic.*, p. 81. Bernhardy, II, 883.

Aristophanes enim deridet Acherusiam paludem [1], λίμνην μεγάλην... πάνυ ἄβυσσον, et portitorem Orci, duobus obolis acceptis, animas transvehentem ; monstra quoque horrenda et terribiles visu formas, quarum in enumeratione plurimus fuit Empedocles [2], in inferorum aditu positas, immane denique barathrum, βόρβορον πολὺν καὶ σκῶρ ἀείνων, quo sceleratorum manes demerguntur. Nihil nisi risum movent, nec satis mirum videbitur hæc talia comœdiæ potuisse inseri proposito, quæ Heracles ut fratrem perterreat, de improborum narrat suppliciis ; nam atrocissimis sceleribus Morsimi tragici ipse subjungit frigidas ῥήσεις, Bacchusque Cinesiæ pyrrhicam. Quid de Charontis persona, servum a cymba arcentis quod non ad Arginusas pugnavisset, stomachantisque in Bacchum quod ventriosus ac piger remorum labori cederet ? Quid de Æaco judice qui servilem ad conditionem depressus, conviciis, stoliditate et impudentia cum Xanthia æmulatur ?

Fas erat Aristophani in immoderatam illam poetarum philosophorumque scientiam de inferis invehi, qui de ignotis rebus somniantes et fingentes, densos conflarunt libros, nec semper intellectu faciles. Nonne optime Xanthiæ interroganti ubi herum sit opperturus, Charon respondet [3] :

Παρὰ τὸν Αὐαίνου λίθον
Ἐπὶ ταῖς ἀναπαύλαις.

Μανθάνεις ; percontatur Bacchus ; cui comice Xanthias :

[1] *Ran.*, 137 et seq.
[2] Cf. Virg., *En.*, VI, 8, cum adnotat. Benoist.
[3] *Ran.*, 194.

Πάνυ μανθάνω,

haud secus atque lectores illi confidentissimi, qui ex obscuris libellis solamina requirere et inanes pascere spes solebant.

Transitu peracto, nusquam occurrunt in itinere parricidæ neque perjuri, de quorum suppliciis terrifica prænuntiaverat Heracles, quibus tamen absonum fuisset in comœdia occurrere; non magis quam belluæ atque monstra quæ tantum somniantis Bacchi et vana fingentis ignaviæ derisum suppeditant. Ita inferorum illa ridicula imitatione, omnia comico respondent proposito et quæ oculis ostenduntur et quæ latent. Chorus ipse initiatorum, cujus ex angulo audiunt ambo et ludificantur hymnos, totius operis sono congruit [1]. Etsi Iacchum Cereremque magnificis celebrat carminibus, quæ pleraque in Eleusinis penetralibus non absona fuisse videntur, Xanthiæ jocum audacem et vix in Bacchanali licentia tolerabilem, assentiente hero, suggerit.

Ἄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον ὅνπερ Διαγόρας.

Alluditur ad eumdem illum Diagoram, qui propter audacissimam impietatem paulo ante civitate exterminatus est et capite damnatus [2]. Nonne mirum publice in theatro potuisse prædicari, hymnis in honorem Eleusinorum numinum decantatis, reddita ante spectatorum oculos festa pomparum imagine, quas belli causa tunc mari sine ullo apparatu non terra cum

[1] *Ran.*, 316 et seq.

[2] Schol., *ad Av.*, 1071. Cicer., *Nat. Deor.*. I, 23. Cf. Bernhardy, II, 545.

solita magnificentia celebrare cogebantur [1], nullam aliam inesse religionem quam ἀθέων omnium celeberrimi carminibus? Quod adeo visum est stupendum quibusdam, ut post ὅνπερ Διαγόρας non ᾄδει subaudirent, sed διασύρει, χλευάζει aut alia similia; quidam etiam commemorarent Diagoram pia primum mente instinctum, primitias ingenii sui diis celebrandis dicasse et postea tantum ἀθέου nomen meruisse, ita ut ᾖσεν esset in versu illo supplendum. Quibus tamen interpretationibus, ni fallor, obstat totius dialogi tenor, lucida per se sententia et procaces amborum personæ qui sanctissimarum cærimoniarum gravitatem comicis curant temperare facetiis, et quanquam in seria pomparum imitatione, de poetæ admonent proposito. Ita potuit ne castissimis quidem fontibus abstinere noster, dummodo artis miraculo emineret decor et numinum omnium Gratiæ Musæque præcipuum suum honorem obtinerent.

Hi tamen de inferis joci, si recte perpenduntur, satis fidem faciunt apud multos jam Athenis tunc invaluisse opinionem, quam semel atque iterum in Tusculanis quæstionibus vulgarem fuisse apud Romanos Cicero testatur [2] : « Quæ est anus tam delira, quæ timeat ista quæ vos videlicet, *si physica non didicissetis*, timeretis :

> Acherusia templa, alta Orci, pallida
> Leti, obnubila, obsita tenebris loca? »

Et alias : « Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens sibi

[1] Cf. Th. Kock, adnot. in *Ran.*, ad v. 316 et seq..
[2] *Tuscul. Quæst.*, I, 5 et 21.

enectus Tantalus? etc. » Quæ si neminem Romæ tunc terrent, ex iis *qui physica didicerunt,* haut diu postquam a Pythagoreis inventa fuerant, Athenis jam destiterant timeri.

Multo acerbior est apud Aristophanem ejus sapientiæ irrisio quæ non novis dogmatibus homericam religionem locupletat et corrigit, sed funditus evertere aggreditur; cum qua tamen non in eo tantum consentit quod ridiculis facetiis deformando sacra antiquitus tradita, fidem paulatim eximit mentibus, sed quod quædam ex ejus de divinis placita pro suis non dubitat assumere. De quo uberius disserendum est.

§ 2.

Ex quo Anaxagoras, Ionicorum omnium armis instructus, subtiliorem quamdam de mundi ordine atque legibus doctrinam Athenas attulit et non inani fatorum potestate sed immutabili ratione omnia contineri docuit, adolescentes ingeniosissimi, novitate et dignitate tantæ hujus disciplinæ allecti, veteres fabulas de diis atque rerum natura respuerunt et de archaïca sapientia cum contemptu cœperunt loqui. Tunc sacerdotes quorum auctoritati philosophia ibat obviam, magistratus senili prudentia et reipublicæ cura elati, quisquis Athenis præteritæ ætatis mores, tot illustribus comprobatos facinoribus, reverebatur, periculum instare civitati et disciplinam veterem simul cum diis in discriminen vocari intellexerunt [1]. Horum studiis prævalentibus pulsus est Anaxagoras quo fa-

[1] Cf. Curtius, *Griech. Geschichte*, III, 109. Grote, op. cit., XII, 242.

miliariter utebatur Pericles, impietatis accusati et Phidias egregii illius viri amicus et Aspasia uxor. Philosophorum tamen libelli per totam urbem non desistunt evolvi; per Socratem, Anaxagoreo instinctum spiritu, sed ad altiora jam pergentem, in viis et gymnasiis sapientia apparuit; cum Euripide, Anaxagoræ schola egresso, theatrum invadit et festis antiquorum numinum diebus, Bacchi commendata patrocinio inter aras et altaria coram et palam, ausa est loqui. Socratem igitur atque Euripidem aggrediuntur ii quos novarum rerum studii in dies percrebescentis tædet, qui calamitates inde ominantur reipublicæ et per liberalem illam ingeniorum culturam verentur ne bellicæ virtutes elabantur animis. Horum princeps et ingenio et artis suæ conditione Aristophanes : cujus non libet in Euripidem Socratemque grassantis speciem, a multis jam expressam, instaurare; sed quomodo adversus illos pro veteribus moribus acerrime pugnando, vix et tragici et philosophi impietatem visus sit curare, explorabimus, ab Euripide exorsi.

Omnium quos eadem ætas tulit, ne Socratem quidem exceperim, qui ingenio, doctrina, elegantia sermonis, divinorum humanorumque cognitione homines antiquitatis liberare vinculis et exquisitiore scientia informare tentarunt, Euripides jure habebitur præstantissimus, non ideo solum quod poeticis sapientiam commendavit facultatibus, sed ante omnia quia nascentia æqualium suorum studia perspexit, et ad renovandam humanitatem vim suam omnem contulit [1]. Ita sibi posterorum conciliando admirationem, eorum animadversionem et inimicitias subiit, qui falsa spe-

[1] Cf. Nægelsbach, *Nachhom. Theol.*, VIII, 7 et seq.

cie abrepti, et hominum cursum impediri posse quin ad nova fata properarent, confisi, infestis signis in novatores procedebant. In hunc Aristophanes, ut boni civis et de patria solliciti præstaret officium, quum comica facundia sæviendum putaret, ex eo telorum copiam petiit amplissimam, quod sapientiam novam, liberius de divinis humanisque disserentem, tragœdiarum accommodavit operi.

Jam veteres adnotarunt æmulationem artis atque certamen pro corona necessario quodammodo inter Euripidem Aristophanemque extiturum fuisse [1]; in urbe præsertim ubi theatralia ludicra cum civilium rerum studio cohærebant, et poetæ in fabulis haud secus atque oratores in concione, de imperio non minus quam de fama videbantur dimicare. Aristophanes nulli ipsius ætatis poetæ pepercit, et Sophoclem quem mortuum laudaturus erat, vivum adhuc haud semel læsit conviciis [2]. Illud tamen præcipue nostrum concitare in Euripidem eique bilem movere debebat, quod nonnulli jam illum vel in arte comica tragici esse imitatorem atque æmulum, ludibrii causa, affirmabant, in lyricis præsertim fabularum partibus [3]. Cratinus in primis nostro objecit, quod sententias ab Eupolide, stylum ab Euripide mutuaretur; et virum subtiliores nugas captantem, *εὐριπιδαριστοφανίζοντα*, appellavit. Is erat Euripidis apud Athenienses favor, ut jure ex his atque talibus dissimulatæ imitationis criminibus, Aristophanes famæ suæ potuit metuere; ita ut ad Euripidem vexandum non communi tantum civitatis causa sed propriæ utilitatis specie concitatus

[1] Ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην scribit de Aristoph. SCHOL. PLAT. (*vit. Aristoph.*) apud MEINEKE, I, 536.

[2] Aristophanes Sophoclem lacessivit. *Pac.*, 697. *Av.*, 100.

[3] SCHOL., *Aristoph. Equit.*, 528. Cf. SCHOL., *Plat.*, p. 330. BEKKER,

esset. Quæ tamen ejus contra Euripidem luctantis arma esse poterant? Propter vitæ privatæ castitatem, ansam nullam comicis præbebat facetiis, neque eo nomine ab Aristophane atque aliis petitus est; ob artis tantum vitia, sive vera sive commentitia, poterat traduci. Quo in opere ab *Acharnensium* fabula usque ad *Thesmophoriazusas* ita elaboravit Aristophanes, ut eum quem in ceteris multis mutabilem atque inconstantem vidimus, in hoc saltem immotum et secum concordem dicere liceret. Non hic libet ea quæ ad formam, dispositionem, stylum atque mores tragœdiarum pertinent crimina diluere aut urgere; nemo non fateatur necesse est ex his multa egregie vidisse et perstrinxisse Aristophanem, in aliis æquum excessisse modum, sed ita semper ut ex Euripidis illa censura optimam ridiculi copiam hauriret. Illud nos magis movet, quia tandem in eo Aristophanis interpretes commorari solent, scilicet Euripidis impietatem a comico fuisse lacessitam, et deorum curam, quos tragicus respuit aut contaminavit, acerrime susceptam.

Si ad Aristophanis libros, neglectis commentariis et interpretationibus, nos referimus, et irrisionis Euripidis requirimus documenta, illud luce clarius apparebit, Aristophanem pene tragica abreptum vehementia in morum corruptorem esse invectum, vix in transitu atque leniter in deorum contemptorem. Quod si justis ponderibus Euripidis æstimasset tragœdiam, contrario fuisset judicio usus : nullam enim privatam publicamque reperire est virtutem quam tragicus operibus suis non extulerit, commendaverit, exornaverit, quum contra in illustrandis veterum fabulis atque renovandis, deorum vices et heroum infortunia tragœdiis prætexendo, non Anaxagoræ modo et sophistarum fuit discipulus, sed Xenophanis acrem

censuram, cum ardore quodam mentis atque impetu adhibuit. Nam fabularum ipsarum in dubium vocat originem, quas nedum antiquæ sapientiæ tribuat, ἀοιδῶν δυστήνους λόγους [1] esse affirmat ; deorum, quales ab Homericis fuerunt adumbrati, naturam corruptam atque inepte e divinis humanisque conflatam perstringit ; audacem de universa religione dubitationem philosophantibus in tragœdia personis ita accommodat, ut operis sui leges atque consuetudinem sæpius videatur oblivisci [2]. Ne diutius in nota quæstione commorer, vix apud Græcos philosophos ἀνθρωποειδῶν deorum religionem aggressos, argumento ulli occurres, quod non Euripides tragice amplificaverit et parum sæpe eleganter heroicis sermonibus inseruerit [3]. Itaque Aristophanes in Teleclidis fragmento tragœdias Euripidis σωκρατογόμφους [4] vocavit, et poetam, quoad de re obscuriore judicium ferre licet, in prioribus Nubibus Socrati conjunxit, qui dicebatur eum in fabulis scribendis adjuvare [5]. Ambo huic novæ sapientiæ legi addicti fuisse videntur : μηδένι ἄλλῳ πείθεσθαι ἢ τῷ λόγῳ [6], et supra commenta antiquitus tradita, collocasse quod acie mentis verum æquumque esse agnoverint : τρόπος ἐστὶ χρηστὸς ἀσφαλέστερος νόμου [7]. Quod ad deos religionemque veterum attinet, nonne, plaudente Socrate, Bellerophon ille in *Pace* tam faceta imitatione deformatus, exclamavit in scena [8]:

[1] *Hercul. fur.*, 1333.
[2] Vid. in primis *Menalip. philos.*, fragm. 488.
[3] Cf. Nægelsb., op. cit., VIII, 9 et seq.
[4] Correctio Hermanni, *Præfat. ad Nub.*, XIX.
[5] Reisigius, *Præfat. ad Nub.*, 12. Cf. Diog. Laert, II, 18. O. Muller, op. cit., II, 408.
[6] Plat., *Apol.*
[7] Eurip., *Pirith.*, *frag.*, 598.
[8] Id., *Belleroph.*, *fragm.*, 300.

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Quæ mera pro vulgari Atheniensium sensu impietas, eo magis in poetam debuit convertere piorum inimicitias et accendere odia, quod non paucis et peritis, sed toto populo audienti, spectaculorum solemni apparatu, et quasi Bacchi defensus auctoritate, præcepta illa atque disciplinas patefaciebat.

Quam tandem indignationis aut derisus materiam ex ea tanta et tam formidanda impietate Aristophanis hausit comœdia? Facetam quidem et jucundissimam, sed raram quoque neque eam quæ in Euripidem religiosas simultates concitare valeret. Ut a minimis ordiamur, *Thesmophoriazusæ* [1], quæ tota tragœdia in deridendo Euripide versatur, mulierem inducunt, corollis nectendis quæstum sibi facere consuetam et querentem quod poeta in tragœdiis docendo deos non esse, victu ipsam fraudaret :

Νῦν δ' οὗτος ἐν ταῖσιν τραγῳδίαις ποιῶν
Τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.

Duobus versibus nec quoquam amplius potuitne Aristophanes Atheniensium animos in impium inflammare? Res ipsa, ni fallor, respondebit. Si non potuit, pro demonstrato erit habendum illum noluisse.

De *Ranis* [2] jam adnotavit auctor doctissimus, non impietatis causa Euripidem vexari, etiamsi argumentum illius comœdiæ ansam optimam huic tali crimi-

[1] *Thesmoph.*, 450.
[2] Vid. *Ran.*, 100, 892, 936, Cf. C. Kock, op. cit , 101.

nationi dedisset, et vix in transitu paucis carpi facetiis, quum contra Æschylus non solum magni poetæ et informandis moribus utilissimi sed etiam pii atque religiosi viri ingenio commendatur. Si curam deorum sinceram gessisset Aristophanes, cui unquam persuaderi poterit, illum nihil majus ex Euripidis tragœdia valuisse excerpere, ut impietatis crimen augeret, quam temperatum illum de ἰδιώταις τισι θεοῖς jocum, et « Αἴθηρ, ἐμὸν βόσκημα » ex Anaxagorea physica depromptum [1]?

Facetias illas comici, impietatem tragice philosophantis Euripidis perstringendo, si ejusdem comparamus locis ubi morum detegit corruptelam, ubi magistratus instanter videtur admonere ne desidenti disciplinæ novatorum præcepta faveant, ubi morte dignum esse censet poetam qui pejores cives effecerit et ignaviores [2], ubi veteres vates atque eorum imitatorem Æschylum, non propter honores ab ipsis religioni redditos sed propter moralem utilitatem laudat [3], nonne perspicuum erit deorum causam a morum sollicitudine sejungi, et Aristophani fere nulla visa communia inter simplicem majorum pietatem austeramque disciplinam ? In qua cum omnibus ejus ætatis auctoribus consensit, et vulgarem Græcorum opinionem expressit, qui magnorum virorum virtutes publicas privatasque non ad deos referebant auctores, sed humano prorsus et civili fonte emanare arbitrabantur [4]. Disciplinam igitur qua freti Athenienses Persas devicerunt Aristophanes retinuisse velit, et Euripidi acerrime adversatur quod antiquis moribus

[1] *Ran.*, 886 et seq.
[2] *Ibid.*, 1012. Cf. *Nub.*, 1376 et seq.
[3] *Ibid.*, 1021 et seq.
[4] De quo vid. Valkenaer, Orat., 234.

illius præcepta ire obviam putabat. De infàmatis vero et negatis numinibus quorum fide atque patrocinio disciplina illa steterat, parum vel nihil curat, atque impium Euripidem absolvit. Quin imo, vim omnem ingenii, facundiam comicam, eloquentiam ira, indignatione, metu accensam quum loquacitati, impudentiæ, ignaviæ, socordiæ, novis tunc vitiis, refrenandis et damnandis adhibet, dum ex altera parte vix leni risu et paucis tantum versibus, deos veteres tuetur ; quum majorum virtuti, constantiæ, castitati optimam sui operis partem, splendidissimis verborum sententiarumque ornamentis illustrem dicavit, dum patriæ religionis tutelæ et laudibus, nisi in lyricis quæ imperabat consuetudo carminibus, locum fere nullum aut ridiculum concessit, affirmare licebit, impietatem sibi Euripidis non adeo displicuisse, qui contra in eo videtur fuisse ut impietati illi assentiretur, non solum quia ipse deos sacraque sæpe habuit ludibrio, sed etiam quia pro eis aut ridicule oravit, aut ea aliquando aperte prodidit.

§ 3.

Nulla fere quæstio earum quæ ad litteras græcas pertinent, magis doctorum hominum sollicitavit curam atque ingenium quam Aristophanis Socratem infamantis in scena audacia, error, immane facinus : neque injuria. Socrates enim doctrinæ excellentia, mortis fama, discipulorum pietate eam sibi posterorum comparavit venerationem quæ nonnisi optimos sequitur. Aristophanes contra talem hunc virum traducendo, comœdia sua capitali judicio quo quatuor

et viginti annis post philosophus damnatus fuit, non accusationis tantum formulam sed judicum etiam sententiam videtur suggessisse. Quod qui fieri potuerit et quatenus excusari jam sæpe ante nos animadversum est neque ampliorem hic investigationem requirit. Quicumque litteras græcas non pro nostri temporis opinionibus sed restituta præteritorum imagine et pro cujusque ætatis consuetudine explanare solent, non potuerunt quin Aristophanem de Socrate, ut de sophistarum principe, judicantem, sinon errore omni at saltem improbæ opinionis crimine liberarent. Qui in philosophum invehendo, opus se reipublicæ utile futurum et sicut de equitibus suis Cleoni adversantibus profitetur, patriæ auxiliari atque gentilibus diis putabat.

Etsi innumeri sunt libri quibus quæstio illa illustratur, et ita trita argumenta pleraque ut ea amplius urgere fastidiosum sit, unum tamen in obscuro videtur remansisse ; quod quia arcte cum nostri libelli proposito cohæret, accuratius, omissis aliis, erit excutiendum. In perpendenda Aristophanis cum Socrate simultate, hæret animus percontando utrum per totius vitæ tenorem comicus eamdem servaverit sententiam, an certior factus de socraticæ sapientiæ vi et de magistri indole, seram conceperit pœnitentiam et correxisse voluerit, ætate et experientia doctus, quod juvenili ardore abreptus temere emiserat judicium.

Ut jam nunc obstantia omnia ex itinere nostro removeamus, post *Nubes* quibus Socratis continetur censura, bis adhuc ab Aristophane in philosophum illusum est, in *Avibus* nempe atque in *Ranis* [1]. Uterque locus innoxius fere habendus, neque ullo modo

[1] *Av.*, 1553 et seq. *Ran.*, 1482 et seq.

gravissimum in *Nubibus* illatum crimen tuetur. Altero enim Socrates dicitur novæ superstitionis generi dare operam, ψυχαγωγία scilicet, ut Pisandri animam quam vivus, utpote ignavia infamis, amiserat, ex inferis excitaret. Illud tamen ψυχαγωγεῖ duplici sensu, nostra quidem sententia, erit explicandum, præsertim quum constat nulli unquam Asiaticæ superstitioni Socratem fuisse deditum. Quippe μαιευτική illa celeberrima significatur philosophi, qua juvenum ad se allicere mentes docendo et delectando consuescebat [1]. Altero deinde Ranarum loco, ad idem illud studium quo juvenes ingeniosissimi trahebantur ad Socratem, alluditur, ita ut indigne se ferre profiteatur Aristophanes, in eadem urbe pedestrem philosophantium facundiam cum nobili poetarum arte in erudiendis delectandisque civium animis æmulari. Quid enim de comœdia futurum erat, si Athenienses Socraticorum adhortationibus essent obsecuti? Nempe deserto theatro ubi sæpissime facinora deorum heroumque deridebantur comice aut tragice exornabantur, cura omnis civilium divinorumque, e quibus res ludicra apud Atticos præcipuam materiam haurire solebat, scholis et gymnasiis fuisset conclusa. Ita in Socratem ceterosque ejusdem sapientiæ sectatores invehendo, pro sua domo decertasse Aristophanem et prohibuisse ne philosophia prævalente, ars musica ad nihilum recideret, manifestum est. Nihil tamen in his occurrit quod prius in *Nubibus* objecta crimina renovare aut inflammare videatur.

Si quis inde colligere velit Aristophanem *Aves Ranasque* docentem abjecisse sententiam quam antea de Socrate tulerit, levioribus argumentis magni pon-

[1] Ita quoque Th. Kock, adnot. ad *Av.*, 1555.

deris quæstionem fulcire non immerito dici poterit. Sed leviora quoque illa aliis comprobata non sine momento erunt.

Plerisque ad hunc diem judicibus, qui *Nubium* exposuerunt propositum, mos erat fabulam illam perpendere, quasi integra et qualis ad nos pervenit ab Aristophane primum exscripta fuerit [1]. Quæ tamen quum semel acta non placuisset, ita retractata est ut prioris argumenti multa mutaret poeta, demptis quæ maxime spectatoribus displicuerant, additis quoque quæ meliorem sibi fortunam paratura esse existimabat. Quin imo constat retractatam illam fabulam in scenam nunquam prodiisse et postquam in corrigenda illa diu poeta sudaverit, manum ei summam illum aut noluisse aut non potuisse imponere, sive aliis avocatus fuerit operibus, sive difficultate rei absterritus.

Quæ nunc in manu est *Nubium* comœdia post mortem auctoris a filiis ejus edita, contaminata, ut Terentii in causa simili verbo utar [2], jure apparet, quæ nonnulla ex priore argumento servavit, correxit quædam, atque alia de integro excogitavit. Parabasin totam, nisi lyricas partes, scimus fuisse refectam, in qua de negata palma acerbissime queritur; additum utriusque orationis certamen, necnon conclusionem illam fere tragicam qua Strepsiades resipiscens et conversis studiis, Socratem corrupti filii auctorem incensa domo ejicit. Summam tamen spectanti neque argumento neque personis novas *Nubes* a prioribus differre certo licet affirmare; sed Socratis censuram, per-

[1] De *Nubib.* retractatis vid. Th. Kock, *Introd. ad Nubes*, 24 et seq. Teuffel, *Aristoph. Nub.*, præfat., I. Fritzsche, *Quæst. Aristophan.*, p. 111 et seq.

[2] *Andria*, Prolog.

niciosa sapientia juvenes informantis ambobus prætextam fuisse constat. Non eodem tamen modo, si rem altius perspicere velimus. Gravissimum habemus testem Socratem ipsum, aut saltem Platonem in *Apologia*, qui duo genera calumniatorum in magistrum ait processisse, priores, comicos scilicet, inania quædam et ridicula jactantes : [1] « Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται, ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν καὶ ἄλλους ταῦτα διδάσκων. » Recentiores deinde multo acerbissimos, quorum accusationem ad judicium exscriptam non Plato tantum sed monumenta publica servaverunt : « Ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος · ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων · τίμημα θάνατος [2]. »

Hæc si conferimus, neque inter se neque cum fabulæ, qualis servata est, neque rursus cum priorum *Nubium* congruunt proposito ; sed respondent ex parte sextæ hypothesis testimonio [3], quæ utriusque sermonis æmulationem et φροντιστηρίου incendium ad correctionem inventa fuisse tradit. Quid inde ad rem nostram sequitur ? Nempe Aristophanes primum propter subtilem disserendi rationem, operosas nugas (λήρων διατριβὴν ἀργὸν) [4] et physicorum ineptam indagationem Socratem impugnavit ; deinde in retractata fabula desidentis disciplinæ et morum corruptelæ illum reum fecit : ita ut novæ *Nubes* magis Meliti accusationi respondeant quam priores, et Socrates si correctam fabulam novisset, non duo genera calumniatorum sed unum et fere idem habuisset refellendum.

Adde quod deorum negationi primum locum et

[1] PLAT., *Apol.*, 18 A, 19 BC.
[2] IB., 24 B, et PHAVOR. apud DIOG. LAERT., II, 40.
[3] Correctam hanc hypothesim vid. apud TEUFFEL, op. cit., p. 6.
[4] *Ran.*, 1497.

amplissimum assignat Melitus ; Aristophanes ex corruptis adolescentibus arma fere omnia in Socratem mutuatus est. Deorum ipsum curam in prioribus *Nubibus* præ se tulisse liquet, eam tamen quæ in Olympi archaïci defensionem inepta prorsus argumenta stolido viro commodet, quum contra tela in Jovem Socratis vibrata manu vix detorqueri posse videntur; neque ea erant quæ animos Atheniensium religiosa quadam sollicitudine tangerent [1]. Quis risum tenere valeat, quis non Jovis imbecillitatem cum Socrate velit flocci facere, doctrina illa de tonitrus et fulminis origine audita, quæ velut ancipiti gladio in mythologiam simul atque physicorum scientiam grassatur ? Præsertim quum populare illud placitum quo perjuri Jovis telo feriri ferebantur, tam lepide Socrates retorquet [2].

Fabulæ postea retractando propositum, ea mente ut crimina in priore prolata urgeret et incenderet, num quid ex his Aristophanes mutavit, exacuit aut amplificavit ? Qui contra præclaram illam utriusque sermonis altercationem ita composuit, ut *Inferioris*, id est philosophiæ et sophisticæ concluderetur victoria [3], ut *Superiori* optima quidem de antiquis moribus verba tribueret [4], ridicula contra et omnino delirantia de religiosis disciplinis ; *Inferior* sermo impudentissimas emitteret sententias quæ demum divina quadam comprobentur auctoritate [5]. Nonne de industria vi-

[1] *Nub.*, 365 et seq. Ranke, nimius religiosi *Nubium* propositi laudator, comicum in sophistarum castra transisse concedit. *Arist. vita*, § 7. Cf. Girard, *La Religion d'Aristophane. Revue des Deux-Mondes*, 1er août 1878, p. 605.

[2] *Nub.*, 395 et seq.

[3] *Ibid.*, 1102.

[4] *Ibid.*, 1002 et seq., 1050 et seq.

[5] *Ibid.*, 1080.

vidæ illi et splendidæ veteris disciplinæ imagini, subjunguntur Pelei, Herculis Jovisque nomina, ut nemo in theatro, archaïcos mores admirando, non velit in archaïcam fidem verba illa Inferioris sermonis jactare [1] :

> Ἀρχαῖά γε καὶ Διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα
> Καὶ Κηκείδου καὶ βουφονίων.

Si ut disciplinæ veteris ita et religionis studio commotus fuisset Aristophanes, non potest dubitari, quin Meliti criminationem ex corruptis juvenum moribus petitum in novam fabulam assumendo, δαιμονίοις quoque καινοῖς majorem esset locum daturus. Quod quia aliter factum est, satis per se declarat, Aristophanem noluisse in philosophorum impietatem grassari; et eodem quo Euripidem aggressus est modo, ab illis tantum immutatæ disciplinæ et in pejus ruentis rationem repetere quæsiisse : de diis igitur aliena docentes absolvit. Neque obstant versus quos sub exitu chorus, abjecta sua persona, tumido ore et graviora sonans emittit [2] : Ἡμεῖς ποιοῦμεν ταῦθ' ἑκάστοτε, κ. τ. λ.

> Ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι.

Quos ne serio nimium interpretemur monet, præter *Nubium* personam, illud comice omnino in *Vespis* a choro in Bdelycleona jactatum [3] :

> Ἵν' εἰδῇ μὴ πατεῖν τὰ ταῖν θεαῖν ψηφίσματα.

[1] *Nub.*, 984.
[2] *Ibid.*, 1461.
[3] *Vesp.*, 376.

Licet de diis haud semel in scena illa, quæ prioribus Nubibus aberat, mentio incidat et fabula parum convenienter impiorum terminetur supplicio, Aristophanes, comœdiæ egressus finibus atque sono, viro cuidam videtur similis qui repulsam passus et in opere alacriter suscepto parum felix, sibi simul aliisque irascatur et impetu quodam nimio expugnare velit quod æquabili via non potuit attingere.

Illud ceterum animadvertendum erit, fabulam illam, eo consilio retractatam ut populi rursus judicio submitteretur, nunquam scenæ fuisse restitutam. Quam poeta imperfectam nec satis cohærentem ita neglexit, ut sedata offensione, quam ex populi contrario judicio perceperat, non tantum *Nubium* fortunam vulgaris auræ non permitteret inconstantiæ, sed causam ipsam, quam in fabula illa susceperat, videretur deserere. Attamen in dies magis atque magis gliscebat morum corruptela, cui primum obviam eundum esse censuerat Aristophanes ; Alcibiadis auctoritate in republica prævalente, non deerant argumenta quæ fabulæ proposito novitatis quasdam adjecissent illecebras, siquidem doctissimus vir Phidippidis persona Alcibiadem ipsum significatum esse, quamvis parum apte, aggressus est demonstrare [1]. Suppressit fabulam Aristophanes et ex magna parte instauratam inter obsoletam collocavit supellectilem : quam ob rationem nisi quod eo ipso tempore de philosophis, de Socrate præsertim, æquiorem existimationem edoctus est ; quia post *Nubium* calamitatem, in quibus argumentum quam ignotus fuerit Socrates comico, satis ostendit, ipso fabulæ infelici eventu ad Socraticorum familiaritatem allectus est? Quos non potuit propius

[1] SUEVERN, *Uber Arist. Wolken*, p. 56 et seq.

contemplari vir ingeniosus, etsi philosophicis abhorrens disputationibus, quin judicium suum, errore publico deformatum, immutare voluerit.

Nubibus damnatis de quibus spem magnam conceperat auctor, ira primum deinde dubitatio invasit ejus animum; labefactatum judicium quod fabulæ proposito subjectum erat; nova crimina retractandæ adhibita; ultra comicas sævitum leges; suppressum denique opus aut ita neglectum ut ejus poetam pœnituisse verisimile sit.

Quod ex *Pluti*, ultimæ nostri nomine editæ fabulæ argumento atque compositione magis adhuc elucet. Mirum satis videri potest ex illa fabula censuram omnem non philosophorum tantum sed sophistarum etiam qui ad quæstum disciplinam suam adolescentibus tradebant, esse exclusam. Nonne, si in ea opinione qua fretus Nubes correxerat, Aristophanes constitisset, ultro quodammodo fabula *Pluti* irrisionem divitias captantium requirens, ad eos homines delabebatur, qui tunc per civitates græcas, mercede ampla accepta, rhetoricam artem et corruptricem quamdam sapientiam docebant? Quos eo magis in fabulæ propositum comicus assumpturus erat, quod *Nubes*, si voluisset, non jam posset scenæ committere. Sophistis igitur parcendo quum res ipsa eorum expostulabat irrisionem, metuisse videtur Aristophanes ne *Nubium* renovaret memoriam, ne Socratis cogitatio paucis ante annis interfecti subiret?

Quin imo ultimæ hujus fabulæ ab Aristophane doctæ compositio, persuasionem suggerit mentibus, comicum demum, relictis vetustatis fautorum ordinibus, in castra philosophantium transisse. Ne diutius in sacerdotum irrisione, de qua jam antea multa præ-

diximus, moremur [1], ne nimium quoque convicia in Mercurium ejusque nomine in Olympum congesta urgeamus [2], quibus non leviora in *Pace Avibusque* jam supra adnotavimus, nonne totius fabulæ propositum in Jovis cum *Pluto* comparatione comica, quam vere philosophicam vocare licet, versatur ? Etsi multa in hac fabula a priore ingenio Aristophanem deflexisse demonstrant, juvenili adhuc spiritu in imperium Jovis videtur grassari, cui effictum divitiarum deum antiquo regno successurum opponit [3]. Insimulatur primum Jupiter, non comice tantum sed per tumidam indignationem quod in viros probos maligne atque invidiose se gerat, qui Plutum occæcavit et divitias indignissimo cuique largitus est [4]. Deinde dubitantem Plutum et Jovis metu recusantem quominus visum recipiat, confirmat Chremylus demonstrando æquam ipsius potestatem et benignam Olympiorum tyrannide multo potiorem fore. Venalis est Jupiter, quæstu placabilis, propter quæstum sollicitatus ; qui si divitiarum largiendarum facultate spoliatur, quis est qui amplius sacrificare et vota facere velit ? Admiranda quidem et acutissimæ sapientiæ plena sententia ! Quanta vi, quam gravi et fere tristi irrisione illustrata ! Quid aliud est Jupiter ille ludibrio habitus et regno exutus, nisi inanis et ementita præteritæ ætatis numinis species, casu humanas res non consilio regentis, avidis commendati a ministris et communi stultitia mundi adepti regimen, quod bonorum improborumque distinctionem nullam facit, quin imo deteriori causæ, ut *Sermo superior* in *Nubibus*, se ad-

[1] *Plut.*, 1080 et seq.
[2] *Ibid.*, 1008 et seq. Cf. supra p. 33 et seq.
[3] *Ibid.*, 123 et seq..
[4] *Ibid.*, 455, 467, 550, 774 et seq., 828,

dixit ? Quid contra æqua illa, sapiens et liberalis Pluti potestas, nisi verum ac purum numen, quod frustra in fabulationibus antiquis requiras, de quo philosophi jam multà viderunt, atque eo ipso tempore Plato post Socratem præclarissime disputabat?

Fabula tamen illa, provecta jam Aristophanis ætate exscripta, tristitia quadam et tædio humanarum rerum commixta, non veram Aristophaneæ indolis exprimit imaginem. Cujus frustra ibi alacritatem et solitam in omnibus rebus lasciviam requiras; comicam etiam facundiam et felicitatem uberem ingenii desiderabis. Sed eadem ætas, adversis civitati instantibus et commutato cum comœdiæ conditionibus poetæ animo, plurimas fabulas tulit, a prioribus argumento dissimiles, eodem vero instinctas spiritu, quarum fragmenta tantum supersunt : inter quas *Gerytades* [1], in deridendis æqualibus poetis versantes, merum comici in religiosis ludentis et de philosophia cavillantis testimonium suppeditabunt. Ex his enim non contemnendus servatus est locus, quo poetæ de inferis temere somniantes perstringuntur, et eadem irrisione tres conjunguntur viri, mediocritate ingenii similes, religione omnino diversi : Sannyrio nempe comicus qui artem suam auspicatus, multum mythologicæ comœdiæ, Epicharmi ad exemplum, dederat [2]; Cinesias dithyrambicus, sæpe a nostro aliisque lacessitus [3], tum propter carmina quum impietatis causa, qui Socraticæ religioni videtur fuisse addictus ; Melitus denique, tragœdiis fere ignotus, Socratis judicio celeberrimus. Hi omnes, pro suo ingenio atque ope-

[1] Aristoph., *Fragment.* (édit. Didot), p. 473 et seq.

[2] De Sannyrione vid. Bode, op. cit., III, 387.

[3] Cf. Lysias, *Fragm.*, 31. Qui illum ἀσεβέστατον et παρανομώτατον vocat.

ribus, inferorum expresserunt imaginem, alter ad irrisionem, alter lyricis philosophorum ornando placita, alter populari fidei in tragœdia obsecutus : quos omnes permixte vexat et deridet Aristophanes, Socratis accusatorem, Socraticumque Cinesiam. Neque absonum fuit Atheniensibus eodem in theatro, paucis interjectis annis, ridiculo Socrati et infamato Melito plaudere.

Nihil melius nos et poetæ comici in religiosis animum et Athenarum irrequietam mutabilemque opinionem docere potest ; nihil clarius rationem reddere cur Aristophanes ipse per convicia in antiquam religionem invectus, interdum religionem visus sit defendere, et Socratem acriter aggressus in scena, nunquam privatus familiariter Socrate et Socraticis omnibus uti destiterit. Nempe sicut poeta omnia ad artem suam dirigebat, cui nonnunquam leges, mores, pietatem erga deos, magnorum virorum merita et divinorum respectum submittere non dubitavit, ita Athenienses unum id opus comœdiæ duxerunt, ut eos jucunda rerum, hominum, deorum imitatione delectaret, et risum quocumque modo excitaret per cuneos. Qui spectatores aderant, quique vates in scena docebant fabulas, cura reliquorum abjecta, theatrum ingressi ad lasciviam unam convertebant animos. Aristophani satis sit quod proposito suo optime responderit et Atheniensium expectationem fere semper vicerit. Ne tamen sibi nisi comice morum emendatoris et sapientiæ professoris titulum vindicet, nisi de se posteros severius quam Socratis discipulos vult judicare.

Quod ad nos attinet, commentationem hanc a Platone auspicati, ejusdem nominis patrocinio quo cœpta est velimus concludere ; qui cum nimia severitate

ductus, comœdiam perfecta sua civitate excluserit, Aristophanem tamen maximi fecit propter ingenium et convicia in magistrum olim congesta omnino deinde oblivisci aut excusare visus est. Attamen comicum in *Convivio* disserentem ita inducit ut ex comparatione fiat manifestum, quantum Socratis sapientia facetiis comicorum sapientiam aucupantibus præstet. Ita enim se res habet : nec obstabit illud bene scitum : « Castigat ridendo mores ; » et Dionysi celeberrimum : « Ἡ κωμωδία αὐτὴ, τὸ γελοῖον προστησαμένη φιλοσοφεῖ [1]; » quin sententiam nostram aperte profiteamur. Ad sapientiam, probitatem, bonos mores, virtutes publicas privatasque et divinorum respectum non datur comicis informare animos, nisi proprii sui operis obliti, fastidia vulgi experiri malint, nisi doctores facti in scena, τρυγοδαίμονες [2] esse desinant. Etsi aliam haud semel artis suæ legem professus est Aristophanes, ita tamen, cum ad rem ipsam ventum est, in proprio suo officio constitit, ut comici famam sibi ante omnia compararit. Reus noster, hac fultus ratione, non indemnatus solum sed coronatus judicio nostro exibit.

Si tamen non denegabitur recessus quoque illos animorum atque latebras penetrare, quibus comici egressa cogitatio, postquam rerum hominumque contemplatione commota est et ad tristitiam illam traducta quæ de medio jocorum fonte surgere solet, ad opus suum proprium sese comparavit alacriter, reperiemus Aristophanem, dubia et manca primum pietate subnixum, deos atque sacra ad fabularum propositum vertere ; dein, adolescente paulisper ratione, eadem immoderato derisu prosequi, donec philosophorum

[1] Dion. Halic., *De Orat. fig.*, I, 11.
[2] *Nub.*, 296.

discipulus illa ita neglexerit aut impugnaverit, ut temporis sui indole abreptus, cum superiore oratione in *Nubibus*, abjecto priore vestimento, inimica castra videretur petere [1] :

> Πρὸς τῶν θεῶν, δέξασθέ μου
> Θοἰμάτιον, ὡς
> Ἐξαυτομολῶ πρὸς ὑμᾶς.

Quod nedum ei tanquam errorem aut vitium objiciamus, liberius etiam et pertinacius velimus jam e carceribus ab illo fuisse susceptum.

Obstabat vero quominus sapientiæ studiis Aristophanes concederet et comœdiæ ipsius conditio, vulgi adstricta opinionibus, necnon civilium rerum, non improba quidem sed cæca existimatio, qua non humanitatis totius sed factionis cujusdam fautor exstitit. Reipublicæ eum amantissimum fateamur, veteris innocentiæ, fortitudinis, pietatis defensorem bonorumque morum fere semper propugnaculum [2]. Falsa tamen abductus specie, priscis virtutibus, etsi eas ab antiquorum religione segregabat, novatores ire obviam credidit, quia nobilibus studiis nova aperuerant curricula, et religionem simul disciplinamque civitatis rationis fundamento imponere tentarunt.

Liceat posteris sibi effingere cogitatione, qualis atticæ comœdiæ quæ tam illustria artis documenta edidit, futura fuisset vis atque potestas, si ad rectam divinorum scientiam promovendam Socratem adver-

[1] *Nub.*, 1103.

[2] Excipienda sunt quæ de adulterio (*Av.*, 793), de παιδεραστίᾳ (*Equit.*, 1385), de pudicitia (*Av.*, 755), jocando emisit : pauca, si licentiæ bacchanalis ratio habetur, sed eo magis adnotanda.

sus accusatores, sapientiam novam adversus obsoletas fabulas defendisset; si Epicharmi insistens vestigiis et Xenophanis alumna, platonicam religionem commendare quam homericam in delectationem vulgi convertere maluisset. Quis non fatebitur philosophiam, qua tum optimus quisque Athenis trahebatur, apud plebem ipsam, omnium quos terra sustinuit ingenio acutissimam, salubre adepturum fuisse et humanitati toti utilissimum imperium [1]?

[1] Ita doctissimus vir VISCHER, *Æsthet.*, I, 471. Quem laudat BERNHARDY, op. cit., II, 619.

CONCLUSIO.

Athenis, Periclis tempestatibus, religio a nulla re publica privataque aberat, et sicut in vita ita in libris ejus ætatis amplissimum tenebat locum. Theatralia ludicra, religiosis orta fontibus et in deorum tutela collocata, quia religioni multum debebant, multum et reddebant.

Quum Aristophanes fabulas docere instituit, duobus vitiis, quæ quanquam contraria ἐκ μιᾶς κορυφῆς ubique semper junguntur, laborabat Atheniensium religio : superstitione scilicet et impietate, quorum alterum vulgi, alterum eruditorum afficiebat animos.

Poeta qui comœdiæ conditione et consuetudine tradita, religionem fabulis suis admiscendam habebat, sicut in superstitiosas persuasiones, extrinsecus civitati invectas, arma sua direxit, ita primum ab impietate voluit immunem servare mentem, et impietatis fautores vexare ridiculo. Sed *Nubium* admonitus calamitate ne nutantis fidei susciperet patrocinium, statuit potius antiqua quoque de divinis placita artis suæ proposito accommodare quam extra comœdiæ fines evagando ut ea tueretur, repulsas et fastidia pati.

Doriensium comœdia unde ortum cœperant

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetæ,
Atque alii quorum comœdia prisca virorum est,

philosophorum libero instincta spiritu et necessitate quadam operis ducta ad divina ridiculo deformanda, atticis illustria mythologicæ irrisionis exemplaria tradiderat.

Mythologia ipsa, deorum ἀνθρωποειδῶν innixa notioni, provocabat ad παρῳδίαν copiosissimum ridiculi fontem. Ex quo non dubitavit Aristophanes eo liberius haurire quod inde occasionem Euripidis tragœdiam aliorumque poetarum opera vexandi petebat.

Temperata primum irreverentia erga sacra deosque usus est, deinde, re bene succedente, audacter et omnibus telis instructus, in Olympios progressus est : non ut eos, more philosophorum negaret, sed ut ludibrio haberet.

Attamen post luctuosam Siciliæ militiam, impietate compressa, ad priscam fidem conatus est redire : frustra, nam eo ipso tempore, in Socraticorum societatem receptus, vel inscius novis studiis opinionibusque concessit, non jam comico abreptus ingenio sed sapientium persuasione.

Retractandarum *Nubium* omisit consilium, postquam satis priore fabula ostenderat, se non tam deorum quam morum veterum curam gerere. Denique cum *Pluto* aperte ad philosophos transiit, quoad saltem comico, popularis favoris cupido, in fabulis licet philosophari.

Si qualis fuerit Aristophanis religio, quærimus, respondendum : non unam et eamdem per totius vitæ curriculum servavit; pro tempore, fortuna urbis, privatis vel studiis vel inimicitiis immutata est et ineluctabili quadam rerum necessitate premente, a simplici fide et integra persuasione ad dubitationem, contemptum, negationem traducta.

Deos tamen patrios quum parum primum curaret,

deinde aperte aggrederetur, mores priscos a religione antiqua segregavit, quos semper iisdem extulit laudibus. Superstitionis simul atque philosophiæ, novis utrisque studiis adversatus est, quia utramque corrumpendæ disciplinæ favere credidit.

Impiusne fuit Aristophanes Atheniensium judicio, non ἀσεβείας quidem crimini obnoxius, sed ita ut spectatores irreverentiam fabularum intelligerent et impietate sua excusarent? Perlectis iterum *Avibus*, quæ summam Aristophanei ingenii maturitatem præ se ferunt, non possum quin affirmando respondeam.

Impius igitur posterorum judicio erit habendus, et insignem illius ætatis in religiosis ut in ceteris effigiem expressit : ita tamen ut impietas illa pro perspicacia et sapientia numeretur, qua Epicharmi, Xenophanis, Socratis quoque renovantium temporis sui studia, elaboraverit in opere, et pro sua virili parte, rationabilem religionem, Asiaticis simul et Hellenicis purgatam erroribus, constituerit.

Quia propria sua professione non voluit τὰ σπουδαῖα excludi comœdia, seriam hanc saltem Aristophanei operis partem sit venia illustrasse.

Vidi ac perlegi.

Lutet. Paris in Sorbona,

VII kal. oct. an. MDCCCLXXX.

Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Vice Rector,

GRÉARD.

ERRATA.

Pag. 10, lin. 18 : per callidos *pro* percallidos.
Pag. 26, lin. 22 : qua severitate *pro* quo severitate.
Pag. 41, lin. 3 : Xanthiæ compellanti *pro* Xanthias.
Pag. 46, lin. 21 : deridendorum deorum *pro* deridendæ.
Pag. 59, lin. 25 : leonina pelle indutus *pro* leonina pelle.
Pag. 60, lin. 15 : erga Bacchum sensus futurus fuerit *pro* erga Bacchum fuerit.
Pag. 60, lin 29 : Ingenii auctoritas *pro* auctoritate.
Pag. 64, n. 3, lin. 2 : vexatas *pro* venatas.
Pag. 65, lin. 2-3 : imitatus *pro* imitatas.
Pag. 71, lin. 10 : celebrabantur *pro* celebrabatur.
Pag. 83, n. 2, lin. 1 : *Euthyd.* pro *Euhyd.*
Pag. 86, lin. 14 : cui crimini *pro* qui.
Pag. 95, n. 2, lin. 8 : Du Méril *pro* Du Méri.
Pag. 103, lin. 2 : quæ cœna *pro* quæ cæna.
Pag. 107, lin. 27 : in discrimen *pro* in discriminen.
Pag. 109, lin. 28 : posset metuere *pro* potuit metuere.
Pag. 120, lin. 11 : petitam *pro* petitum.
Pag. 122, lin. 26 : nonne metuisse *pro* metuisse.

INDEX.

VESONTIONE, E TYPIS J. JACQUIN.